3 1761 07490057 2

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/explanatiojurisn00brez

ADAMI BREZANÓCZY J.U.D.

IN

ACADEMIA

REGIA POSONIENSI

JURIS NATURÆ

PUBLICI, ET GENTIUM PROFESSORIS

PUBL. ORD.

EXPLANATIO

JURIS NATURÆ.



POSONII,

TYPIS FRANCISCI AUGUSTINI PATZKO.

1795.

LIBRARY
NOV 29 1967
UNIVERSITY OF TORONTO

JC
571
B66

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS.

Jus Naturæ Theoreticum.

Caput I. De Natura, ſtatuque hominum morali.
Caput II. De Obligatione, Lege & Jure generatim, ac ſingilatim naturali.
Caput III. De Legum naturalium principiis, ac proprietatibus.
Caput IV. De Juribus hominum univerſalibus, & quod inde fluit, actionum moralium diſcrimine.
Caput V. De varia actionum moralitate, imputatione, ac conſcientia.
Caput VI. De Jurisprudentiæ naturalis partibus, atque uſu.
Caput VII. De ortu, & progreſſu Jurisprudentiæ naturalis.

Jus Naturæ Practicum, & quidem Jus Naturæ Ethicum.

Caput I. De officiis erga Deum.
Caput II. De officiis erga ſe ipſum.
Caput III. De officiis erga alios humanitatis, ſeu imperfectis.
Caput IV. De officiis erga alios perfectis.
Caput V. De officiis circa ſignificationem mentis.
Caput VI. De dominio, ejusque aquirendi modo ſimpliciter originario, ſive occupatione.

Caput VII. De effectibus dominii, ſeu de juribus, & obligationibus, quæ ex dominio naſcuntur, & Acceſſione.
Caput VIII. De Pactis.
Caput IX. De poſſeſſionis jure, & dominio putativo.
Caput X. De Pactis ſpeciatim beneficis.
Caput XI. De contractibus permutatoriis generatim, & de rerum pretio.
Caput XII. De variis permutationum formis.
Caput XIII. De Jurejurando, aliisque modis, quibus pacta confirmantur.
Caput XIV. De modis, quibus obligationes, & contractus ceſſant.
Caput XV. De Legum, ac Pactorum interpretatione.
Caput XVI. De remediis, quibus jus ſuum perſequi liceat in ſtatu naturali.

Jus Naturæ Oeconomicum.

Caput I. De ſocietate hypothetica generatim.
Caput II. De ſocietate conjugali.
Caput III. De ſocietate parentum, & liberorum.
Caput. IV. De ſocietate herili.
Caput V. De Domo, ſeu familia, & ſucceſſionis jure.

JUS NATURÆ THEORETICUM.

CAPUT I.

De Natura, ſtatuque hominum morali.

§ I.

Natura eſt principium actuoſum entis internum, ſeu cauſa efficiens interna operationum entis. Quia hoc denotat origo vocis græca φυσις a φυω, quod gignere eſt, & latina, ut obſervat Servius (*ad Virgilium Georg II.* 49.) Natura inde dicta eſt, quod naſci aliquid faciat; accedit etiam tam veterum, quam recentiorum Philoſophorum auctoritas. Hinc *Deus* recte natura appellatur; quia omnia naſci fecit, ſed etiam *Mundus*: quia multa naſci facit. Propterea tamen Deus & Mundus non ſunt idem: Deus enim eſt natura æterna, neceſſaria immutabilis, & omnibus poſſibilibus perfectionibus

in ſummo gradu prædita, non item mundus, uti notum eſt ex *Methaphyſica*; ideo Deus natura naturans, mundus autem natura naturata nominatur. Quia Deus vi ſibi propria omnia naſci facit, mundus vero vi ſibi a Deo tributa. Denique *vis cuilibet enti exiſtenti propria* ejusdem naturam efficit. Quia eſt cauſa efficiens interna operationum entis. Attamen ſola eſſentia improprie tantum natura dicitur. Quia, quod non exiſtit, nihil poteſt naſci facere. Porro *naturale* eſt, quod ex natura entis intelligi poteſt. Eſtque vel *abſolutum*, quod ex natura absque ullo facto intelligitur, v. g. hominem poſſe ratiocinari; vel *hypotheticum*, quod ex natura quidem ſed præcedente aliquo facto deducitur, v. g. hominem actu ratiocinari. Naturale abſolutum vel eſt *eſſentiale*, quod ſalva ſubſtantia abeſſe non poteſt, v. g. hominem habere rationem, vel non *eſſentiale*, quod ſalva ſubſtantia abeſſe poteſt, v. g. hominem habere duos oculos. Id demum quod ex natura non intelligitur, adeſſe tamen, vel abeſſe poteſt, *accidentale* vocamus.

§. 2

Natura hominis in ejusdem animalitate, & rationalitate poſita eſt. Quia animalitas, & rationalitas eſt cauſa efficiens interna omnium actionum hominis, quascunque enim actiones ponit homo, eæ vel ab animalitate, vel a rationalitate proveniunt. Animalitas duas habet partes, corpus organicum, atque animam in ge-

genere: Corpus eſt machina mechanico-pyrobolico-hydraulica; *Machina* propterea, quia eſt ens compoſitum variis mutationibus obnoxium, hoc enim eſt machina; *Mechanica* propterea, quia in corpore varii motus peraguntur per pondus, & preſſionem, uti fit in genuflexione, hoc autem eſt machina mechanica. *Pyrobolica* propterea, quia in corpore varii motus peraguntur per calorem, uti fit in concoctione ciborum, hoc autem eſt machina pyrobolica; *Hydraulica* propterea, quia in corpore varii motus peraguntur per fluidum, uti fit in circulatione ſanguinis, hoc autem eſt machina hydraulica. Omnes vero iſti motus habent ſuam regulam, ſecundum quam determinantur. Quia nihil eſt ſine ratione ſufficiente, ergo iſti motus habent ſuam rationem, ſecundum quam determinantur, quæ ſi verbis exprimatur, naſcitur: Propoſitio enuntians determinationem rationi conformem, quæ regula eſt, ergo.

§ 3.

Tria adhuc in corpore ſpectanda ſunt: ſanitas, & morbus, perfectio, & imperfectio, bonum, & malum. Sanum corpus dicitur, dum ſingula ejus membra nativis ſuis functionibus obeundis ſunt apta, ſecus eſt morboſum. Perfectio autem eſt concordia variorum in unum finem: Imperfectio vero diſcordia variorum in unum. Sic perfectum eſt corpus, ſi membra

in ejus conſervationem conſpirent; ſecus eſt imperfectum. Perfectio alia eſt *eſſentialis*, ſeu concordia notarum, quæ ſalva ſubſtantia abeſſe non poſſunt, v. g. in homine ratio, alia *non eſſentialis*, ſeu concordia notarum, quæ ſalva ſubſtantia abeſſe poſſunt, v. g. in homine ſanitas, alia *accidentalis*, ſeu concordia notarum, quæ ex natura rei non intelliguntur, v. g. in homine doctrina. Item alia eſt *ſimplex* ſeu concordia variorum in unum tantum finem, v. g. horologium, quod accurate tantum horas indicat, alia *compoſita*, ſeu concordia variorum in plures fines, v. g. horologium, quod etiam diem & menſem deſignat: Atque his perfectionum formis totidem imperfectionum genera reſpondent ita tamen, ut imperfectio eſſentialis non denotet mutationem eſſentiæ, ſed tantum limitationem rerum creatarum. Quia eſſentiæ immutabiles ſunt. *Regula*: Perfectio ex omnimoda rei expletione, imperfectio autem ex quolibet defectu conſurgit. Quia quamprimum vel unicus occurrit defectus, illico adeſt diſcordia variorum in unum, ergo imperfectio. Denique bonum eſt, quod adfert perfectionem, malum autem, quod adfert imperfectionem. *Regula:* Quidquid in aliquo ente reperitur, illud eidem vel bonum eſt, vel malum. Quia illud vel eſt cum eo concordans, vel non eſt, inter eſſe enim, & non eſſe non datur medium, ſi concordat, adfert perfectionem, & eſt bonum,

ſi

ſi diſcordat, adfert imperfectionem, & eſt malum, ergo.

§ 4.

Anima in genere eſt ens ſui, rerumque extra ſe poſitarum ſenſibilium conſcium. Habet varias facultates: Percipiendi, imaginandi, fingendi, appetendi, averſandi &c., quæ notæ ſunt ex *Metaphyſica*, habentque ſingulæ ſuas regulas; Quia nihil eſt ſine ratione ſufficiente. Sequentes juvat in memoriam revocare: *Facultas appetendi* eſt vis, qua anima perceptiones gratas reproducere, facultas autem *averſandi* eſt vis, qua anima perceptiones ingratas abigere nititur. *Regula ejus eſt*: Quoties anima ſibi repræſentat aliquid ut bonum, toties illud appetit, & quoties ſibi repræſentat aliquid ut malum, toties illud averſatur. Quia poſita ratione ſufficiente debet poni rationatum.

Neque obmoveas ſæpe contingere, ut anima bonum non appetat, & malum non averſetur. *Quia non bonum, ſed repræſentatio boni eſt ratio ſufficiens appetendi, poteſt autem fieri, ut bonum non repræſentetur ut bonum:* 1*mo ſi anima illud non cognoſcat, unde ignoti nulla cupido,* 2*do. ſi cognoſcat quidem, ſed ſibi nunquam obventurum, vel non profuturum, ideo non appetit ſanus medicinam.* 3. *Si bonum eſſe malum cogitet, quod ſæpe fit, appetitiones enim a ſenſibus, & ideis confuſis proveniunt. Eadem eſt averſationum ratio.*

§ 5.

Stimuli naturales ſunt propenſiones quædam, quæ animam ad aliquid appetendum, vel averſandum citra cogitationem impellunt, v. g. dilectio ſui, appetitus cibi & potus, fuga interitus, &c. Iſti progignunt in nobis appetitionem, vel averſationem. Quia producunt primum in nobis ſenſum internum ejus rei, ad quam nos ſtimulant, dein repræſentationem ejus rei ut bonæ, vel ut malæ, jam autem repræſentatio boni gignit appetitionem, uti repræſentatio mali averſationem, ergo. Suntque ſemper boni. Quia concordant cum fine, cum conſervatione animantium, ergo adferunt perfectionem, ergo ſunt boni. Sed probe diſtingui debent a *ſtimulis adventitiis*, ſeu propenſionibus illis, quæ primo poſt nativitatem ex ſenſuum externorum perceptionibus oriuntur. Hi enim non ſunt ſemper boni. Quia ſenſus externi nos ſæpe fallunt.

§ 6.

Affectus eſt prædominium appetitionis, vel averſationis ſenſitivæ. Hoc fit, ſi vel appetitio, vel averſatio pluribus de cauſis ita augeatur, ut plane evaneſcat contraria. Alii ſunt *grati*, alii *ingrati.* Quia prædominium appetitionis oritur ex repræſentatione boni, quod gratum eſt; averſationis autem ex repræſentatione mali, quod ingratum eſt. Atque omnes ad quatuor præcipuas radices: *gaudium, cupi-*

dita-

ditatem, *triſtitiam & terrorem* reducuntur. Quia grati proveniunt ex bono, quod, ſi eſt præſens parit gaudium, ſi futurum cupiditatem; ingrati vero veniunt ex malo, quod ſi eſt præſens, adfert triſtitiam, ſi futurum, terrorem. Anima eſt *indifferens*, quando rem aliquam nec appetit, nec averſatur. In *æquilibrio* autem, ſi pares habeat cauſas aliquid appetendi, & averſandi. *Loquela* eſt vis habitas perceptiones diverſis ſignis manifeſtandi. Omnes hæ facultates vocantur *inferiores*. Quia etiam brutis communes ſunt; facultates autem hominibus propriæ ſuperiores appellantur.

§ 7.

Anima hominis in ſpecie eſt ens ſui, rerumque extra ſe poſitarum non tantum ſenſibilium, ſed etiam inſenſibilium conſcium. Varias habet facultates: Attendendi, reflectendi, intelligendi &c. ut notum ex *Metaphyſica*, quæ omnes aliquando uno *intellectus*, vel *intelligentiæ* nomine exprimuntur. Præcipue autem animæ humanæ dignitas conſiſtit in ingenio, ratione, atque judicio. *Ingenium* eſt facultas ſimilitudines rerum detegendi. *Ratio* eſt facultas rerum nexum perſpiciendi, ideſt dependentiam unius ab alia, cauſas, & conſectaria. *Judicium* eſt facultas diverſas ideas inter ſe comparandi, & demum annuendi, vel abnuendi. Harum finis eſt, ut *veritatem*, ſeu vacuitatem a repugnantia, & *falſitatem*, ſeu rerum inter ſe repugnantiam depre-

prehendamus. Quia oſtendunt, quæ res, & quomodo inter ſe conveniant, vel diſcordent, ergo oſtendunt & rerum inter ſe repugnantiam & vacuitatem a repugnantia. Hinc ope harum facultatum aliquando habemus *certam cognitionem*, ſeu *evidentiam*, dum veritatis, vel falſitatis poſſumus ſufficienter aſſignare rationem; aliquando *incertam*, ſeu *opinionem*, dum veritatis, vel falſitatis ſufficientem rationem dare non poſſumus. Sæpe verſamur in *ignorantia*, dum nullam rei cognitionem habemus, ſæpe in *errore*, dum idea noſtra diſſimilis eſt objecto. Incertæ cognitionis, ignorantiæ, & erroris cauſa ſunt: limitatio humanæ intelligentiæ, defectus maturæ ætatis, aut ſanæ mentis, morbi, mala educatio, negligentia &c. Quia hæc faciunt, ut vel nullam, vel non ſufficientem, vel ab objecto diſcrepantem aquiramus cognitionem. *Evidentia* eſt perfectio animæ. Quia concordat cum fine facultatum ejus, quod perfectio eſt; *Opinio* autem, & multo magis *ignorantia, & error* ſunt animæ imperfectiones. Quia diſcordant a fine facultatum ejus, quod imperfectio eſt.

§ 8.

Adhuc voluntas & libertas notari debent. *Voluntas* eſt facultas rem aliquam ope intelligentiæ, rationis, & judicii comprehenſam ut bonam appetendi, & comprehenſam ut malam averſandi. Hinc, qui uſu rationis deſtituuntur, uti ſunt infantes, amentes &c. nec velle, nec

nolle

nolle poſſunt. Quia voluntas ſupponit uſum rationis. Voluntas motivis regitur. Quia nihil eſt ſine ratione ſufficiente, hæc autem ratio volendi, vel nolendi eſt *motivum*, ſeu judicium convenientis boni vel diſconvenientis mali; ſecus enim voluntas vel eſt *indifferens*, vel in *æquilibrio*. Hinc eſt *regula* voluntatis: quoties habet anima judicium convenientis boni, toties illud vult, & quoties habet judicium diſconvenientis mali toties illud non vult. Quia poſita ratione ſufficiente debet poni rationatum. Eſt autem motivum vel *genuinum*, ſeu judicium veri boni, vel veri mali, vel *ſpurium*, ſeu judicium apparentis boni, vel apparentis mali. Quia judicia vel ſunt vera vel falſa. *Apparens bonum* eſt verum malum. Quia bonum non eſt, apparet enim tantum tale, & falſum judicium naturam rei immutare non poteſt, ergo verum malum eſt, inter bonum enim & malum non datur medium: ita etiam *apparens malum* eſt verum bonum. Quod ſi duo bona unum majus, & alterum minus concurrant, tunc minus eſt *comparative malum*. Quia magis diſcordat a fine agentis, quam majus bonum, ergo comparative adfert imperfectionem, ergo eſt comparative malum. Sic bonæ ſunt exercitationes, quibus diverſa corporis membra agilitatem conſequuntur, at fiunt comperative malæ, ſi intellectus exercitationem impediant: ita etiam ſi duo mala majus, & minus concurrant, tunc minus ma-

lum

lum eſt *comparative bonum.* Quia minus malum magis concordat cum fine agentis, quam majus malum, ergo etiam comparative majorem adfert perfectionem, ergo eſt comparative bonum. Sic mercium e navi projectio in mare mala eſt, ſed ſi navis aliter ſervari nequeat, fit comparative bona.

Non dicas autem: non licet facere malum, ut eveniat bonum. *Quia hoc verum eſt extra colliſionem.* Neque eſſentias rerum eſſe immutabiles. *Quia hic tantum comparatio intercedit, non vero abſoluta mutatio.*

§ 9.

Ut libertatem intelligamus, præmittendum eſt: quid ſit *Actio*, *Facultas agendi phyſica*, *Principium*, & *ſpontaneitas*. *Actio* eſt mutatio, quæ in illo ente, quod mutationem ſubit, habet rationem ſufficientem; *Perpeſſio* autem eſt mutatio, quæ in tertio quodam ente habet rationem ſufficientem. Actiones hominis vel ſunt *internæ*, quæ a ſola vi animæ proveniunt, v. g. cogitare, vel *externæ*, quæ a motu organorum corporis proveniunt, v. g. ſpiritum ducere, vel *mixtæ* quæ ab anima & corpore ſimul proveniunt, v. g. librum legere. *Facultas agendi phyſica* eſt potentia agendi, quod viribus humanis non repugnat. Hinc *poſſibile objective*, eſt quod in ſe non repugnat, v. g. plures exiſtere mundos, *phyſice poſſibile*, quod viribus hominis non repugnat, v. g. deambulare. *Impoſſibile*

bile objective eſt, quod in ſe repugnat, v. g. plures exiſtere Deos. *Impoſſibile ſubjective*, quod viribus hominis repugnat, v, g. digito cœlum tangere. *Neceſſarium objective* eſt, cujus oppoſitum eſt in ſe impoſſibile, v. g. natura æterna, *Neceſſarium ſubjective*, cujus oppoſitum eſt viribus hominis impoſſibile, v. g. mori. *Contingens objective* eſt, quod in ſe poteſt eſſe vel non eſſe, v. g. hic mundus. *Contingens ſubjective* eſt, quod relate ad vires hominis poteſt eſſe, vel non eſſe, v. g. intereſſe prælectionibus. Ex his patet: *Impoſſibile* nullo modo poſſe determinari. Quia repugnat. *Neceſſarium* nnico modo. Quia ejus oppoſitum repugnat. *Contingens* vero duplici modo. Quia poteſt eſſe, vel non eſſe.

§ 10.

Præterea neceſſarium vel eſt *abſolute tale* cujus oppoſitum ſub omnratione eſt impoſſibile, v. g. homiinem habere animam. vel *hypothetice*, cujus oppoſitum eſt impoſſibile tantum ſub conditione, ſi aliquid adipiſci, aut effugere velimus, v. g. comedere, ſi velimus vivere. Neceſſitas vero abſoluta vel eſt *interior*, quæ a propria entis conſtitutione trahit originem, v. g. Apoplexia tangi, vel *exterior*, ſeu coactio phyſica, quæ ab alia cauſa effectrice provenit, v. g. trajici. Jam neceſſitas abſoluta excludit contingentiam, Quia quod abſolute neceſſarium eſt, id unico tantum modo poteſt determinari,

nari, ad contingentiam autem requiritur, ut poſſit duplici modo determinari; ergo. Cum neceſſitate autem hypothetica poteſt componi contingentia. Quia quod tantum ſub conditione eſt neceſſarium, ſublata conditione poteſt eſſe, vel non eſſe, hoc autem eſt contingens, ergo. *Principium* eſt quod in ſe rationem continet alterius, eſtque triplex: *Poſſibilitatis*, quod rationem continet, cur aliquid ſit poſſibile. *Exiſtentiæ*, quod rationem continet, cur aliquid exiſtat, *Cognitionis*, quod rationem continet, cur aliquid cognoſcatur. Item aliud eſt *internum*, quod cum rationato ſuo eidem rei inhæret, v. g. canis eſt principium internum latratus. Aliud *externum* quod cum rationato ſuo eidem rei non ineſt; v. g. ſculptor eſt principium externum ſtatuæ.

§ II.

Spontaneitas in duplici ſenſu ſumitur: in ſenſu *lato* eſt facultas entis per principium efficiens internum aliquid agendi. Competit tam hominibus, quam brutis. Quia habent facultatem agendi phyſicam; imo etiam rebus inanimitatis. Quia plantæ ſua ſponte creſcunt, corpora ſponte agunt, & reagunt. In ſenſu autem *ſtricto* eſt facultas entis per principium efficiens internum in iisdem circumſtantiis aliquid agendi, vel non agendi, vocatur aliter *nudum arbitrium*. Competit & brutis & hominibus. Quia bruta v. g. poſſunt ambulare, vel non ambulare,

homi-

homines autem v. g. poſſunt in iisdem circumſtantiis attendere, vel non attendere, ſecus enim alterutrum illis eſſet neceſſarium, & quidem vel neceſſitate interna, vel externa, ſed neutrum dici poteſt, non neceſſitate interna, ſecus hæ actiones ſemper, & eodem modo peragi deberent, quod experientiæ, & intimo ſenſui adverſatur; non neceſſitate externa, ſecus eſſent perpeſſiones, cum tamen in ipſis entibus habeant rationem ſufficientem, ergo. Hinc ſequitur tam actus intellectus, quam voluntatis, eſſe arbitrarios. Quia ad actus intellectus requiritur attentio, quæ arbitraria eſt, ad actus autem voluntatis pertinent actus intellectus *ex definitione voluntatis*, ſed actus intellectus arbitrarii ſunt, ergo etiam voluntatis.

Jllud te a ſententia non dimoveat: quod poſſit quis minis, aut verberibus cogi ad attendendum; quod coacta voluntas ſit etiam voluntas. *Quia hæc coactio eſt tantum hypothetica, cum qua contingentia, & nudum arbitrium componi poteſt.*

§ 12.

Libertas eſt facultas animæ proprium arbitrium ope rationis determinandi. Hinc tria ſunt ejus eſſentialia: ſpontaneitas, contingentia, & intelligentia. Quia ad proprium arbitrium pertinet ſpontaneitas, & contingentia, ad rationem autem intelligentia, ergo. His poſitis:

Actio hominis vel eſt *animalis*, ſive hominis, quæ ab animalitate provenit, & homini cum brutis communis eſt, v. g. comedere: vel *humana*, quæ a rationalitate provenit, & ſoli homini eſt propria, v. g. intelligere velle, libere agere. Animalis porro vel eſt *arbitraria*, quæ eſſe, vel non eſſe poteſt, v. g. ſedere, vel *neceſſario*, quæ uno tantum modo eſſe poteſt, v. g. circulatio ſanguinis. *Mixta* actio eſt, quæ quoad eſſe neceſſaria eſt, quoad modum autem exiſtendi libera. Sic circulatio ſanguinis neceſſaria quidem eſt, ſed illam commotione augere, vel veneno impedire homini liberum eſt. Item actio alia eſt *ultronea*, quæ ex magna motivorum abundantia oritur, v. g. Mercator divenditis cum lucro mercibus lubens revertitur in patriam; alia *invita*, quæ ab exigua motivorum abundantia ita proficiſcitur, ut magna ſimul adſint in contrarium motiva, ob quæ mallemus non agere; v. g. mercator invitus tradit metu mortis latroni ſuos nummos. Poteſt autem invita eſſe vel per *blanditias*, vel *minas*, vel *errorem*, vel *ignorantiam*: & quidem ſi invitæ actiones ponantur cum ſpontaneitate, contingentia, & intelligentia, ſemper ſunt liberæ; quia habent eſſentialia libertatis; ſi vero vel unum ex his abſit, non ſunt liberæ; quia non habent omnia eſſentialia libertatis: ſic actio in errore, aut ignorantia invincibili poſita non eſt libera. Quia deeſt intelligentia.

§ 13.

§ 13.

Socialitas eſt ſtimulus naturalis cum ſibi ſimilibus vivendi. Homo ad ſocialitatem natus eſt. Quia ſine ea infans ſtatim perire, adultus miſere vivere, ſenex ante ſuum tempus mori deberet, ſed maxime hoc confirmat ſermo homini a natura conceſſus, nemo enim opus habet ut ſecum ipſo ſermones miſceat. Eſt autem *ſermo* facultas cogitata ſua ſonis articulatis aliisque ſignis clare & diſtincte manifeſtandi. Differt a loquela tripliciter: 1. Quod per loquelam manifeſtentur tantum ſenſationes, per ſermonem autem etiam intelligentia. 2. Quod per loquelam manifeſtentur ſenſationes tantum obſcure, per ſermonem autem verbis, & clare. 3. Quod loquela brutis, & hominibus ſit communis, ſermo autem tantum hominibus proprius.

§ 14.

Nunc poſſumus plene probare, naturam hominis conſiſtere in ejus animalitate, & rationalitate. Quia vidimus hominem vi *animalitatis* varios producere motus corporis, deinde percipere, imaginari, fingere, appetere, averſari loqui, arbitrarie agere: vi autem *rationalitatis* intelligere, ratiocinari, judicare, velle, nolle, libere agere, & ſermocinari, ergo quascunque actiones ponit homo, eæ vel ab animalitate vel a rationalitate proveniunt, ergo animalitas, & rationalitas eſt principium actuoſum hominis

internum, ſed hoc eſt natura, ergo. Male igitur collocatur ſive in *ingenio latius ſumpto*, quod eſt varius res cognoſcendi gradus, & vigor, ſic alius præalio majus habet ingenium, ſeu propter ſaniora corporis organa, ſeu propter majorem exercitationem, ſive in *indole*, quæ eſt varius in appetendo gradus, & vigor, ſic alios levia, alios delectant ſeria, ſive ob talem educationem, ſive exempla: ſive in *conſuetudine*, quæ eſt habitus agendi ex frequentatis actibus aquisitus: ſive in *temperamento*, quod eſt diſſimilis partium corporis diſpoſitio, & varia ſanguinis, & humorum mixtura, ſic alii ſunt cholerici, alii melancholici, alii ſanguinei, alii phlegmatici, quod a varietate ætatis, climatis, victus provenit. Quia hæc hominem tantum procliviorem reddunt ad edendas ejusdem generis actiones, & ab extrinſecis, uti dictum eſt cauſis proveniunt. Natura autem eſt principium actuoſum, & quidem entis internum

Objicitur quidem: Per has proclivitates ſufferri libertatem, & conſuetudinem eſſe alteram naturam. *Verum ſalva eſt libertas, poteſt enim homo principiis obſtare, dein melius expendere agendi motiva, & notiones rei confuſas in diſtinctas commutare. Conſuetudo autem tantum improprie altera natura dicitur, quod difficile ſit inveteratam corrigere, non eſt tamen impoſſibile, ſi enim inclinationes bonæ ignavia, ſæpius abolentur, etiam malas labore exſtirpare licebit.*

§ 15.

§ 15.

Status eſt complexus determinationum, quæ de re quadam ut exiſtentes enuntiari poſſunt. Hinc illæ qualitates, quæ enti non inſunt, licet ineſſe poſſint, ejus ſtatum non conſtituunt; ſic illum hominem nemo noſcet, quem cum poſſibilibus tantum qualitatibus deſcripſero. Status eſt varius; quia variæ ſunt entium determinationes. Alius eſt *naturalis*, ſi determinationes rei a natura proveniant, v. g. in homine ratio. Alius *adventitus*, ſi determinationes non a natura, ſed ab alia quadam cauſa proveniant, v. g. ſi homini amputaretur manus. Naturalis porro vel eſt *abſolutus*, ſi determinationes naturales rei absque ullo facto inſint v. g. in homine facultas ratiocinandi, vel *hypotheticus*, ſi determinationes naturales rei dependenter ab aliquo facto inſint, v. g. in homine ratiocinium. Deide vel *eſſentialis*, ſi determinationes ſalva rei ſubſtantia abeſſe non poſſint, v. g. in homine corpus, & anima: Vel *non eſſentialis*, ſi determinationes ſalva rei ſubſtantia abeſſe poſſint, v. g. in homine ſanitas. Item alius eſt *internus*, ſi determinationes ineſſe alicui enti poſſint cognoſci ſine comparatione cum aliis entibus, v. g. in homine corpus, & anima, atque utriusque facultates; alius *externus*, ſi determinationes ineſſe alicui enti non poſſint cognoſci, niſi ex comparatione cum aliis entibus v. g.

in homine divitiæ, paupertas. Status vero hominis *moralis* eſt complexus determinationum a libertate pendentium, quæ de homine ut exiſtentes enunciari poſſunt. Quia morale venit a moribus, *mores* autem ſunt liberæ actiones ad certum quemdam modum exactæ. Status iſte vel eſt *antecedens*, ſi homo ſit habilis ad ponendas actiones liberas, vel *conſequens* qui ex poſitis liberis actionibus conſurgit, antecedens autem alius eſt *perfectus*, ſi ætas ſit matura, & ſana mens, alius *imperfectus*, ſi deſit vel matura ætas, uti in infante, vel ſana mens, veluti in demente. Statui morali opponitur ſtatus *phyſicus*, ſeu complexus determinationum a libertate non pendentium, v. g. eſſe marem, vel fœminam, eſſe magnum vel parvum.

CAPUT II.

De obligatione, lege, & jure generatim, ac ſingilatim naturali.

§ 16.

Ut obligationem, & legem intelligamus, debemus actionum humanarum bonitatem, & malitiam examinare, ad hoc autem præmittenda eſt cognitio finis hominis. *Finis* eſt id, propter quod cauſa efficiens, & intelligens aliquid agit,

ut

ut ipſum ſit, vel fiat. Hinc bruta, & uſu rationis deſtituti non habent finem: quia non ſunt cauſa intelligens. Si adſit plurium finium ſeries, tunc tres fines diſtinguendi ſunt: *Primus*, qui primo loco attingitur; *Ultimus*, cujus cauſa alii adhibiti ſunt; *Intermedius*, qui inter primum, & ultimum interjectus eſt. v. g. qui frumentum molit, pro fine primo habet farinam, pro intermedio panem, pro ultimo vitæ ſuſtentationem: ultimus autem vel eſt *ultimus in una ſerie*, ultra quem in eadem ſerie nullus datur, vel eſt *ultimus in omni ſerie*, ultra quem nullus amplius datur ullibi. *Medium* eſt id, quod rationem continet, cur finis obtineatur. Hinc qui vult finem, debet etiam velle media neceſſaria. Quia qui vult rationatum, debet etiam velle rationem ſufficientem. *Impedimentum* vero eſt id, quod rationem continet, ut finis non obtineatur. Hinc, qui obligatur ad finem, obligatur removere impedimenta. Quia ſtante impedimento finis obtineri nequit.

§ 17.

Deus hominem ad aliquem finem creare debuit. Quia Deus eſt ſapientiſſima cauſa hominis, ſapientia autem eſt ſcientia media apta ad finem eligendi. Et quidem *primus* hominis finis eſt, ut exiſtat. Quia Deus ideo hominem creavit, ut exiſtat, exiſtentia enim eſt immediatus effectus creationis, ſed hoc eſt finis, &

hanc exiſtentiam Deus in creatione hominis primo loco attigit, ſed hoc eſt finis primus ergo. *Alter, ſeu intermedius* finis hominis eſt, ut ſuis facultatibus animæ, & corporis utatur ad ſe, & ad alios perficiendos. Quia Deus ſumme intellexit, cui uſui ſint tot facultates hominis, voluitque eas omnes homini ineſſe, ſed hoc eſt finis, atque uſus harum facultatum adhuc ad alium finem referri poteſt, ſed hoc eſt finis intermedius, ergo. *Ultimus denique finis* hominis eſt; ut manifeſtet perfectiones divinas. Quia Deus hominem talem creavit, ex cujus conſideratione concludere licet ad DEI exiſtentiam, intelligentiam, omnipotentiam &c., nihil enim poteſt eſſe in effectu, quod non eſſet in cauſa, ergo homo eſt medium manifeſtandi perfectiones divinas, ſed qui medium adhibet, vult etiam finem, ergo: hic autem finis ſimpliciter ultimus eſt; quia ultra Deum nihil datur.

Abſit autem, ut propterea Deum ſuperbiæ arguas. Quia non eſt ſuperbus, qui ſuas perfectiones manifeſtari vult, ut alios felices faciat.

§ 18.

Omnis actio, quæ ab homine ſuſcipitur, vel eſt bona, vel mala. Quia omnis actio ponit mutationem, ergo habet ſua conſectaria, hæc vel conſentiunt cum finibus hominis, vel non: ſi conſentiunt, adferunt perfectionem, & ſunt bona, ſi autem diſſentiunt, adferunt imper-

per-

perfectionem, & ſunt mala. ergo. Actionis bonitas, & malitia vel eſt *interna*, ſi bonum, aut malum confectarium ex ipſa actionis natura intelligatur, v. g. rabidum canem occidere; vel *externa*, ſi bonum, aut malum confectarium occaſione actionis ab arbitrio alicujus entis intelligentis proveniat, v. g. ſi pro occiſione rabidi canis ab Jmperante præmium decernatur. Item vel eſt *phyſica*, ſi bonum, aut malum confectarium ex vi tantum animalibus communi proveniat, v. g. ex infirmitate curari per medicinam. Vel *moralis*, ſi bonum, aut malum confectarium a libertate proficiſcatur, v. g. ſumere medicinam curandæ valetudinis cauſa. Bonitas tamen, & malitia phyſica non eſt cum bonitate, & malitia morali neceſſario juncta. Quia ſæpe habemus ignorantiam rerum invincibilem. Hinc 1. Poteſt aliqua actio eſſe & moraliter, & phyſice bona, v. g. ſumere medicinam valetudinis curandæ cauſa, & reipſa curari. 2. Poteſt & moraliter & phyſice eſſe mala, v. g. ſumere venenum ad ſe perimendum, & reipſa mori. 3. Poteſt eſſe aliqua actio moraliter bona, & phyſice mala, v. g. ſumere velle medicinam, at hujus loco ſuppoſitum bibere venenum. 4. Poteſt eſſe moraliter mala, & phyſice bona, v. g. velle ſe veneno occidere, ſed loco veneni ebibere medicinam, quæ ſanet.

§ 19.

Actio moraliter indifferens eſt, quæ relate ad libertatem nec bona eſt, nec mala: tales ſunt 1. omnes actiones mere phyſice, uti brutorum, ſtultorum. Quia non proveniunt a libertate, ergo nullam habent moralitatem. 2. Actio in abſtracto conſiderata, hoc eſt ſeparata a loco, tempore, perſona, v. g. deambulatio. Quia talis, cum non ſit poſita, nulla habet conſectaria. 3. Datur objectiva actionum indifferentia, hoc eſt, dantur plura objecta ſecundam noſtram cognitionem æqualiter bona, vel æqualiter mala, v. g. dextra, vel ſiniſtra manu dare elemoſynam. Quia plura inveniuntur, quæ ad eundem finem obtinendum æqualiter conſentiant, vel diſſentiant, ergo vel æqualiter ſunt bona, vel æqualiter mala.

Nihil autem contra nos facit: In toto univerſo non reperiri duo perfecte æqualia. *Quia ſufficit, ut in aliquibus notis conveniant, ſic docent Phyſici omnia elementa corporum, licet in individuo a ſe differant, eſſe tamen ſibi homogenea, & ſimillima.*

§ 20.

Nulla tamen actio humana, ſeu a libertate proveniens, & in concreto ſpectata, hoc eſt loco, tempore perſona, & modo circumſcripta eſt moraliter indifferens. Quia omnis talis actio ha-

habet vel moraliter bona, vel moraliter mala conſectaria, vel enim conſentit cum fine agentis, vel non, ergo.

Achenvallius dicit: actio, qua homo ex ignorantia invincibili pro medicina bibit venenum eſt libera, & tamen nec moraliter bona, nec moraliter mala. *Sed falſum eſt eſſe liberam, quatenus ex ignorantia agit; Grotius autem:* Dari inter calidum, & frigidum medium, tepidum, inter lucem, & tenebras crepuſculum. Verum hæc media ſunt tantum participationis, non vero negationis, ut adeo pro nobis ſit paritas.

§ 21.

Obligatio ſumitur in ſenſu gramatico, & metaphorico, in illo pertinet ad omnia corpora, in hoc ad animalia, & homines; ſi itaque intellexerimus obligationem phyſicam, intelligemus etiam animalem, & moralem. Phyſice obligare eſt corpus quoddam aliquibus ligamentis devincire ita, ut ex pluribus modis certo cuidam affixum manere debeat, v. g. pedem fractum ligare. Qua in re quinque ideæ occurunt: 1. Vis ligans, ſic in allato exemplo: *faſcia.* 2. Vis ligata. *Pes fractus.* 3. Devinctio, ſeu *actus, quo faſcia pes conſtringitur.* 4. Modus, *cui ſe pes ligatus accomodare debet.* 5. Neceſſitas in tali ſitu permanendi. Hæc obligatio poteſt active & paſſive conſiderari. Quia una vis eſt, quæ agit, nimirum vis ligans, & altera

ra vis, quæ patitur, nempe vis ligata. Hinc obligatio *activa* eſt actus, quo corpus aliquod certis ligamentis devincitur. *Paſſiva* autem eſt neceſſitas ligato corpori impoſita motus ſuos ad determinatum modum attemperandi. Ad majorem adhuc claritatem obligationis obſervandum eſt. *Primo*: Poſita obligatione activa poni regulam, quam ligatum corpus tenere debet. Quia ut primum corpus quoddam certis ligamentis devincitur, *quod obligatio activa eſt*, illico neceſſitas imponitur corpori obligato motus ſuos ad determinatum modum attemperandi, qui determinatus modus ſi verbis exprimatur, naſcitur propoſitio enuntians determinationem rationi conformem, *quod regula eſt*, ergo. *Secundo*: obligatio activa præcedit regulam. Quia ut corpus ad determinatum modum debeat ſuos motus attemperare, *in quo regula conſiſtit*, debet prius certis ligamentis devinciri, *quod eſt obligatio activa*, ergo. *Tertio*: regulam obligatio paſſiva conſequitur. Quia non poteſt corpori neceſſitas imponi motus ſuos ad certum modum attemperandi, *quod obligatio paſſiva eſt*, niſi prius ille modus determinetur, *quod regula eſt*, ergo. Dixi hoc tantum ad majorem claritatem, in natura enim poſita obligatione activa, ponitur & regula ſtatim, & obligatio paſſiva. Quia ut primum corpus ligatur, *quod obligatio activa eſt*, illico adeſt & determinatus modus, *ſeu regula*, & neceſſitas in illo modo permanendi, *ſeu obligatio paſſiva*.

§ 22.

§ 22.

Eſſentia obligationis activæ phyſicæ conſiſtit in his tribus. In connexione ligamentorum cum corpore ligato. Quia his poſitis intelligitur obligatio, ſi vero vel unum deſit, non intelligitur, hoc autem ad rei alicujus eſſentiam pertinet. Eſſentia vero regulæ in propoſitione enunciante obligationem activam. Quia poſita obligatione ponitur regula. *Hinc duo conſequuntur*: 1. Ad definitionem obligationis, & regulæ non requiritur exprimere remotiores ligamentorum cauſas, v. g. quis corpus obligaverit, quis illi regulam ſtatuerit. Quia ſine his ſufficienter intelligitur eſſentia obligationis, & regulæ. Quia etiam in definitione hominis non requiritur exponere, a quo ſit animal rationale, diverſæ enim ſunt quæſtiones: quid ſit res, & a quo. Quia id ſæpe ſciri non poteſt, licet bene ſentiatur obligatio, ut ſi quis me dormientem ligaviſſet. 2. Ad definitionem legis non requiritur mentio legislatoris. Quia non requiritur ad definitionem regulæ, jam autem lex in ſenſu latiſſimo eſt regula actionum.

§ 23.

Obligatio animalis activa eſt connexio boni, vel mali ſenſitivi cum actione animalis arbitraria. Quia poteſt animalibus imponi neceſſitas hypothetica, ut hoc potius, quam alio modo

do

do ſuas actiones arbitrarias attemperent, nimirum per repræſentationem vel boni, vel mali ſenſitivi; ſic ſi baculum ſumam canem verberaturus fugit, ſi carnem oſtendam, accedit, ergo ſicut obligatio phyſica activa eſt connexio ligamentorum cum corpore ligato, ita obligatio animalis &c. Poſita obligatione animali activa ponitur lex animalis, & eſt propoſitio enuntians obligationem animalem activam. Quia etiam poſita obligatione phyſica activa ponitur regula, quæ eſt propoſitio enuntians obligationem phyſicam activam. Tandem legem animalem conſequitur obligatio animalis paſſiva, ſeu neceſſitas hypothetica actiones arbitrarias legi animali attemperandi: quia etiam regulam phyſicam conſequitur obligatio phyſica paſſiva.

Forte objicies: abſurdum eſt animalia habere leges. Verum non ſunt hæ morales leges, animalia autem habere leges animales ita non eſt abſurdum, ſicut corpora inanimata habere phyſicas.

§ 24.

Denique obligatio moralis activa eſt connexio veri boni, vel veri mali tanquam motivi cum actione libera. Quia liberis hominum actionibus conſequenter moralibus poteſt imponi neceſſitas hypothetica, ut hoc potius, quam alio modo determinentur, videlicet per repræſentationem & connexionem veri boni, vel veri mali

mali tanquam judicii, quod motivum eſt, voluntas enim motivis regitur, ergo ſicut obligatio animalis activa eſt connexio boni, vel mali ſenſitivi cum actione arbitraria, ita moralis obligatio activa eſt connexio veri boni &c. Poſita obligatione morali activa ponitur lex moralis, quæ eſt propoſitio enuntians obligationem moralem activam, ſeu, quæ docet, quid homo facere, vel omittere debeat. Quia poſita obligatione animali etiam ponitur lex animalis. Tandem legem moralem conſequitur obligatio moralis paſſiva, ſeu neceſſitas actiones liberas legi morali conformandi. Quia etiam legem animalem conſequitur obligatio animalis paſſiva.

§ 25.

Subjectum obligationis, & legis moralis ſunt tantum uſu rationis præditi. Quia obligatio eſt connexio motivi cum actione libera, ſed nexum rerum tantum uſu rationis præditi perſpiciunt. Hinc bruta, infantes, mente capti dormientes, plene ebrii qua tales non poſſunt moraliter obligari. Quia non habent uſum rationis. Objectum autem ſunt tantum actiones liberæ. Quia obligatio eſt connexio motivi cum actione *libera*. Hinc leges tantum futuras actiones ligant, non vero præteritas. Quia præteritæ non ſunt amplius liberæ; Ad impoſſibilia non datur obligatio. Quia impoſſibile non eſt

con-

contingens, ergo nec liberum. *Promulgatio* eſt actus, quo efficitur, ut quis in cognitionem legis devenire poſſit. Hæc ad eſſentiam legis pertinet. Quia ad eſſentiam legis pertinet propoſitio enuntians obligationem, ad eſſentiam autem obligationis pertinet connexio veri boni vel veri mali, & quidem tanquam motivi, ſeu judicii, vi cujus quis boni, vel mali nexum cum actione cognoſcere poteſt, quod promulgare eſt, ergo. Hinc lex non promulgata, & quod idem eſt, lex, quam invincibiliter ignoramus, non obligat. Quia non habet legis eſſentiam.

§ 26.

Lex duas habet partes: *propoſitionem* aliter *materiale legis*, vel *edictum*, quæ docet, quid agendum, vel omittendum ſit. Et *obligationem*: aliter *formale legis*, & *ſanctionem*, quæ oſtendit bona, vel mala conſectaria cum actione connexa. Ambæ pertinent ad eſſentiam legis. Quia lex eſt *propoſitio* enuntians *obligationem*. *Præmium* in ſenſu latiſſimo eſt bonum conſectarium tanquam motivum cum actione libera connexum; *Pœna* autem eſt conſectarium malum tanquam motivum cum actione libera connexum; alterutrum pertinet ad eſſentiam legis. Quia ad eſſentiam legis pertinet obligatio, ad eſſentiam autem obligationis pertinet vel conſectarium bonum tanquam motivum cum actione libera conne-

nexum, quod præmium eſt, vel conſectarium malum, quod pœna eſt, ergo. Hinc paupertas, infirmitas &c. ſi non ſint conſectarium liberæ actionis, non ſunt pœna, ſed infortunium. *Conſilium* dare, perſuadere, adhortari ſignificat, alteri aliquid faciendi, vel non faciendi rationes exponere, quas cum actione connexas judicamus. Conſilium per ſe non obligat. Quia non connectit motiva cum actione, in ſola autem connexione motivi cum actione ſita eſt obligatio.

Et licet obligetur ægrotus non ſumere cibum, quem medicus dicit eſſe inſalubrem: hoc tamen non vi conſilii, ſed vi legis naturæ; conſerva te ipſum, fit.

§ 27.

Obligationes, & leges vario modo dividuntur. Ratione *ſubjecti*, alia eſt univerſalis, quæ omnes homines obligat, v. g. conſerva te ipſum, alia particularis, quæ certum genus hominum, v. g. filios, ut ſuis parentibus obediant, alia ſingularis, aliter privilegium dicta, quæ unum tantum obligat, v. g. ſi princeps alicui typographo certum librum imprimendi jus excluſivum largiatur. Ratione *objecti*, alia *interna*, ſi bonum, vel malum conſectarium ex ſola natura actionis proveniat, v. g. ex ebrietate temulentia, morbi, alia *externa*, ſi bonum, vel malum conſectarium ab alia cauſa accedat,

v. g. ſi quis ob ebrietatem baculis pulſetur. Item alia *invitans*, quæ ex præmiis, alia *cogens*, quæ ex pœnis oritur. Præterea alia *affirmativa*, quæ ad agendum, alia *negativa*, quæ ad omittendum impellit. Ratione *motivi* alia eſt *ſimplex*, quæ uno, alia *compoſita*, quæ pluribus conſtat motivis. Sic qui promiſſionem ſuam juramento confirmat, compoſitam habet obligationem ſervandi promiſſum. Alia *major*, alia *minor*, prout facultas motiva cognoſcendi creſcit, vel decreſcit. Ex hac ratione magis obligatur ad humanitatem juriſta, quam gramatiſta. Alia denique eſt *fortis*, quæ gravia, alia *debilis*, quæ levia adnexa habet motiva. Sic lex ſub pœna capitis aliquid prohibens fortior eſt, quam quæ ſub pœna carceris aliquid interdicit. Hinc obligationis, ac legis quantitas optime cognoſcitur ex quantitate motivi. Quia obligatio eſt connexio motivi cum actione.

Puffendorfius aſſerit: Obligationem cogentem eſſe fortiorem invitante. Verum hoc generaliter non obtinet, poſſunt enim aliquem præmia magis, quam pœnæ movere.

§ 28.

Ad ſententias de legibus permittentibus conciliandas dico: non dari leges ex toto permittentes. Quia tales eſſent, quæ nec præciperent, nec prohiberent, conſequenter non obligarent, jam autem omnis lex eſt propoſitio

enun-

enuntians obligationem. Dantur tamen pro parte permittentes. Quia ſæpe lex finem præcipit, ex pluribus autem mediis ad eundem finem æque aptis electionem agenti relinquit, v. g. ſolvere debitum ſive auro, ſive argento, ſive cupro; quatenus enim finis præcipitur eſt lex, ſed quatenus mediorum electio libera eſt, bene dicitur lex pro parte permittens.

Fruſtra dicis: ſi alicui aliquid per privilegium permittatur, hoc ipſo prohibetur aliis, ne privilegiatum turbent. *Quia hæc prohibitio venit ex alia lege, ne ullum in uſu juris ſui turbemus. Fruſtra dicis.* Poſſe Imperantem permittere, quod erat prohibitum. *Quia hoc non eſt lex, ad agendum enim nemo obligabitur, ſed eſt prioris legis abrogatio,*

§ 29.

Denique leges ratione *legislatoris* vel ſunt *divinæ*, quæ auctorem habent Deum, vel *humanæ*, quæ auctorem habent hominem. Ratione autem *promulgationis* vel ſunt *naturales*, ſi bonum vel malum conſectarium cum actione connexum eſſe ex natura actionis ope ſolius rationis intelligatur, vel *poſitivæ*, ſi bonum, vel malum conſectarium cum actione eſſe connexum ope ſolius rationis non intelligatur, ſed dependeat ab arbitrio entis cujusdam intelligentis. Datur etiam lex *mixta*, quæ quoad materiale naturalis eſt, ſed quoad formalis par-

 tem

tem, id eſt præmium, vel pœnam poſitiva, v. g. non furtum facies, ſecus ſuſpenderis, Omnis lex naturalis eſt divina. Quia omnis naturæ tam poſſibilitas, quam exiſtentia in Deo rationem habet.

Nonnulli generaliter legem dividunt in *naturalem*, & *poſitivam*, hanc vero in *divinam*, & & *humanam*: ſed male, vel enim admittunt legem naturalem eſſe divinam, vel non, ſi primum, peccant contra regulas logicæ, quæ vult, ut membra dividentia ſibi repugnent, ſi ſecundum, abſurdum tenent.

§ 30.

Scopus legum eſt, ut per earum cuſtodiam adipiſcamur perfectionem, & evitemus imperfectionem. Quia leges nobis proponunt vera bona, ut illa amplectamur, & vera mala, ut illa fugiamus, ſed bonum eſt, quod adfert perfectionem, & malum, quod imperfectionem adfert, ergo. Hinc illa ſcita, quæ mala jubent fieri, aut bona omitti, non merentur nomen legis. Quia non habent verum legis ſcopum. Is autem *cuſtodit legem*, qui facit, quod præceptum eſt, & omittit, quod prohibitum eſt: Ad quod duo requiruntur; 1. ex parte *intellectus* viva legis cognitio, 2. ex parte *voluntatis* conatus efficax. Quia cuſtodia legis adfert perfectionem & bonum, jam autem perfectio nonniſi ex omnimoda rei expletione conſurgit,

&

& bonum ex integra cauſa. Conatus vero efficax in hoc conſiſtit; ut quis adhibeat media, removeat impedimenta, & captet occaſionem, hoc eſt locum, tempus, aliasque circumſtantias, ſine quibus actio poni non poteſt. Quia qui vult finem debet velle media, & removere impedimenta. Is vero legem *violat*: ſeu *peccat*, qui facit, quod prohibitum eſt, aut omittit, quod præceptum eſt: Et quidem ad peccatum ſufficit quiscunque vincibilis, ſive intellectus, ſive voluntatis defectus. Quia imperfectio, & malum ex quolibet defectu. Hinc, qui non vitat occaſionem peccandi, peccat; quia habet vincibilem defectum voluntatis implendi legem. Sic etiam peccat, qui adhibet medium, quod in certis circumſtantiis contra finem pugnat, v. g. in febri veſci bubula; quia tunc id medium eſſe deſinit & ſit impedimentum, quod qui non removet, habet vincibilem defectum voluntatis, talis autem peccat. *Obſervandum*: Actio, per quam lex cuſtoditur, vocatur *Recta*, *Licita*, & *moraliter poſſibilis*, ſalva enim lege poni poteſt. Actio autem, per quam lex violatur, dicitur *minus recta*, *illicita*, & *moraliter impoſſibilis*, ſalva enim lege poni non poteſt. Hinc facultas moralis eſt facultas agendi quod legi non repugnat, ſed bene diſtinguenda a facultate agendi phyſica. Quia multa non repugnant viribus phyſicis, quæ tamen legi repugnant, v. g. ſe occidere.

§ 31.

Jus varias habet ſignificationes; nos hoc loco ſumimus pro facultate morali, eſtque facultas moralis agendi, quod præceptum eſt, & omittendi, quod prohibitum eſt; aut agendi, vel omittendi, quod nec præceptum, nec prohibitum eſt; illud eſt *jus ſtricte tale.* Hoc *jus permiſſivum*, aliter libertas moralis, quia homini liberum eſt agere, vel non. Omne jus correlatum eſt obligationi, & viciſſim, & quidem vel in ſenſu *affirmativo*, vel *negativo.* Correlata ſunt, quorum uno poſito, ponitur & aliud, vel negatur, & viciſſim, & ideo alia ſunt in ſenſu affirmativo, quorum uno poſito ponitur aliud, vel quorum uno negato negatur & aliud, v. g. pater, & filius. Alia in ſenſu negativo, quorum uno poſito negatur aliud, vel negato uno ponitur aliud, v. g. nox & dies, *Jus ſtricte tale correlatum eſt obligationi in ſenſu affirmativo.* Quia poſita obligatione, ponitur lex, poſita lege ponitur facultas moralis agendi, quod præceptum eſt, & omittendi, quod prohibitum eſt, ſed hoc eſt jus ſtricte tale, ergo. *Jus vero permiſſivum correlatum eſt obligationi in ſenſu negativo.* Quia non poſita obligatione non ponitur lex, non poſita lege ponitur facultas moralis agendi, vel omittendi, quod nec præceptum, nec prohibitum eſt, ſed hoc eſt jus permiſſivum, ergo. Hinc ad quod

da-

datur obligatio, datur etiam jus; & cum ad id quod phyſice, vel moraliter eſt impoſſibile, nulla detur obligatio, neque jus competere poteſt. Quia obligatio, & jus ſunt correlata in ſenſu affirmativo. *Officium* eſt uſus juris. Quia qui jure ſuo utitur, ille efficit, ut facultas moralis in actum deducatur, adeoque ab hoc *effectu* officium nomen accepit. Aliud eſt *affirmativum*, quod in poſitione actionis conſiſtit, v. g. orare. Aliud *negativum*, quod in omiſſione actionis, v. g. non blasphemare.

§. 52.

Liberatio ab obligatione, & lege adeſt, ſi nexus motivi cum actione ceſſet. Quia obligatio eſt connexio motivi cum actione. Fit hoc vel per *abrogationem*, vi cujus lex ex toto tollitur, vel per *derogationem*, vi cujus lex pro parte tantum tollitur, vel per *diſpenſationem* vi cujus lex tollitur tantum reſpectu alicujus ſingularis perſonæ. A *diſpenſatione* differt *gratia legis*. Quia illa præcedit actionem, hæc ſequitur, per illam lex non violatur, per hanc pœna transgreſſori remittitur. *Colliſio* ſeu *conflictus* legum eſt ſtatus, in quo duæ leges nec mutatæ, nec alias contrariæ caſu, & eventu peculiari ita diſcrepant inter ſe, ut ambas obſervare ſit impoſſibile, v. g. in caſu injuſtæ aggreſſionis ſe, & alterum conſervare. Tunc debet fieri *exceptio*, ſeu determinatio uni legi

congrua, alteri vero diſconveniens. Quia utramque ſervare eſt impoſſibile. Ita autem debet fieri exceptio, ut lex fortior debiliori, majus bonum minori, & minus malum majori præferatur. Quia ſecus ſpuria motiva ſequeremur, & nos redderemus imperfectiores, quod non licet. Hinc patet: nullam dari colliſionem, ſi utraque lex poſſit obſervari: & actionem in conflictu patratam magis eſſe invitam, quam ultroneam ex definitione conflictus, & invitæ actionis.

§ 33.

Exiſtentia legum naturalium moralium optime demonſtratur ex conſideratione naturæ humanæ: exiſtunt enim liberæ actiones, cum quibus connexa ſunt vera bona, vel vera mala tanquam motiva, ut bona amplectamur, & mala fugiamus, hæcque ex natura actionum provenire ſola ratione intelligimus, ſic cum amputatione linguæ malum, cum convenientis cibi eſu bonum eſſe connexum ſcimus, atqui connexio veri boni, vel veri mali tanquam motivi ex natura actionis provenientis, & ope ſolius rationis intellecti cum actione libera eſt obligatio naturalis moralis, ergo exiſtunt obligationes naturales morales, ſed hoc ipſo etiam leges naturales morales, quia lex naturalis moralis eſt propoſitio enuntians obligationem naturalem moralem. *Plenum tamen robur* legum natura-

lium,

lium, ſeu ſufficientia præmia, & pœnæ ex attributis divinis deſumi debent. Quia naturalia actionum ſeu bona, ſeu mala conſectaria ſæpe fortuitis eventibus, v. g. morte, ocultatione, morbis debilitantur; ſæpe in hoc mundo boni miſeriis, mali vero proſperitatibus affluunt, jam autem alienum eſt a Dei omniſcii, & omnipotentis juſtitia bonos, & malos pari modo dimetiri. *Propterea* tamen lex naturalis non erit poſitiva. Quia hæc attributa Dei ope ſolius rationis intelliguntur,

Si quis objiciat ideo non dari leges naturales, quia in definitione earum nulla fit mentio legislatoris. *Dicito*: in definitione effectus etiam non eſt opus meminiſſe cauſæ. *Si urgeat*. Hac ratione hominem ſe ipſum obligare poſſe. *Reſpondeto*: nequaquam, vel enim motiva ab actione tollere poteſt, vel non; ſi primum, non eſt obligatus. ſi ſecundum, non a ſemetipſo ſed a motivis obligatur. *Si hinc concludat* debere etiam in Deum cadere obligationem. *Admittito, ſed talem*, quæ ejus gloriæ ſit conveniens, ſicut enim non eſt abſurdum dicere, Deum, licet ſit omnipotens, non poſſe peccare; ita etiam non eſt abſurdum dicere, Deum, licet ſit liberrimus, actiones ſuas debere infinitæ ſapientiæ legibus conformare. *Si præterea aliquis queruletur* ex data legis definitione oriri confuſionem officiorum. *Reponito*: primum, debuiſſe te generalem dare legis definitionem,

nulla enim eſt actio libera, cui ſua non reſponderet obligatio: Deinde officiorum genera diſtribuere non pertinet ad definitionem, ſed ad diviſionem. *Si poſtea concionatorum* exhortationes, amicorum conſilia, & hiſtrionum perſuaſiones obligationum numero adſcribat. *Negato*, & oſtendito, quid interſit inter conſilium, & obligationem. *Si denique vociferetur* debere dari leges latronales, cum latro cum actione viatoris, ni marſupium tradat, poſſit mortem connectere. *Pernegato*, ſemper enim latro malum injuſte connectit, ergo illi reſiſti poteſt, non eſt autem lex, cui jure reſiſti poteſt; quod ſi eſt defectu virium viator latroni nequeat reſiſtere, obligatur dare, quod petitur, ſed non vi legis latronalis, verum naturalis, quæ docet, ut in conflictu duorum malorum minus præferatur. Si denique viator phyſice cogatur, etiam nulla eſt lex; quia objectum legis ſunt tantum actiones liberæ.

CAPUT III.

De legum naturalium principiis, ac proprietatibus.

§ 34.

Triplex eſt principium legum naturalium, videlicet *poſſibilitatis*, *exiſtentiæ*, & *cognitionis*. Et

Et quidem *poſſibilitatis* aliud eſt *proximum*, quod immediatam continet rationem, cur leges naturales ſint poſſibiles, eſtque *poſſibilitas naturæ humanæ*. Quia leges naturales ex natura humana deducuntur ita, ut ſi ea non eſſet poſſibilis, nec eſſent poſſibiles liberæ actiones, conſequenter nec leges, cum ergo natura humana poſſibilis ſit, etiam leges naturales poſſibiles ſunt, ergo. Aliud *remotum*, quod mediatam continet rationem, cur leges naturales ſint poſſibiles, tale eſt *eſſentia divina*. Quia omnia entia finita non tantum ſuæ exiſtentiæ, ſed etiam poſſibilitatis rationem in eſſentia divina habent, ergo etiam poſſibilitas naturæ humanæ, ſed hæc eſt principium proximum, ergo eſſentia divina remotum.

Nonnulli hoc principium ex intellectu Dei, *nonnulli* ex Dei voluntate, *nonnulli* ex Dei omnipotentia explicant. *Sed male*: quia hæc attributa ſupponunt poſſibilitatem, non faciunt.

§ 35.

Principium exiſtentiæ legum naturalium vel eſt *proximum*, quod immediatam continet rationem, cur illæ exiſtant, eſtque *exiſtentia naturæ humanæ*. Quia ſi hæc non exiſteret, nec liberæ actiones, nec leges exiſterent, ergo. Vel *remotum*, quod mediatam continet rationem, cur leges naturales exiſtant, tale eſt: *Dei voluntas*. Quia niſi Deus voluiſſet, natura hu-

mana

mana non extitiſſent, ſed exiſtentia naturæ humanæ eſt principium proximum exiſtentiæ legum naturalium, ergo Dei voluntas remotum.

Illud vero te non perturbet, quod principium exiſtentiæ legum naturalium remotum, ſicut poſſibilitatis non ſit eſſentia divina. Quia ſecus ſicut poſſibilitas, ita etiam homo eſſet abſolute neceſſarius, ſcis autem hominem eſſe contingentem. *Sed neque illud*; quod exiſtentiam legum naturalium immediate ex natura humana derivare debeas. Quia propterea agnoſcis Deum eſſe legum naturalium auctorem, ſed tantum obſervas rectum philoſophandi ordinem, ut non tranſilias proximas cauſas: nonne dum interrogaris, cur ſit dies, ipſe non ſtatim dicis: quia Deus voluit, ſed, quia ſol eſt ſupra horizontem?

§ 36.

Principium cognitionis legum naturalium aliud eſt *ſubjectivum*; ſeu facultas per quam leges naturales cognoſcere licet. Aliud *objectivum* ſeu fons, & propoſitio generalis, ex qua omnes leges naturales deduci poſſunt. *Subjectivum* ſunt ſtimuli naturales, experientia, ſed potiſſimum recta ratio. *Stimuli naturales* propterea, quia iſti nos impellunt ad bonum appetendum, & malum averſandum, ergo oſtendunt cum actionibus vel connexum eſſe bonum, vel malum, ſed hoc eſt obligatio, & lex, ergo.

De-

Debent tamen adjuvari per rationem. Quia ſtimuli naturales nec omnes actionum ſpecies nec ipſum agendi modum, & finem ſatis explanant; ſic ſtimuli famis, & ſitis monent quidem nos, ut cibum, & potum ſumamus, ratio tamen eos debet regere, ne in gulam, & ebrietatem degenerent; deinde ſæpe ſtimuli adventitii pro naturalibus venditantur. *Experientia* ſeu cognitio per ſenſus hauſta; propterea. Quia hæc nos docet cum quibusdam actionibus connexa eſſe vera bona, vel vera mala, ſic Noemus didicit cum potu vini connexam eſſe perturbationem mentis, atqui hoc eſt obligatio, & lex, ergo. *Sed etiam hæc* debet adjuvari per rationem. Quia experientia habetur per ſenſus externos, qui ſæpe fallunt. *Ratio* denique propterea. Quia hæc ſola perſpicit rerum nexum, ergo connexionem motivi cum actione, ergo obligationem, ergo legem, ergo. *Sed ratio debet eſſe recta*, hoc eſt talis, quæ veris innitatur principiis, atque ex illis legitima ratiocinatione concluſiones deducat. Quia ſecus apparentia bona pro veris, & apparentia mala pro veris malis habebimus, quod abſurdum eſt.

Nec dicat quiſpiam 1. Dari homines absque ſtimulis naturalibus. *Quia appetitum boni generatim, cibi, ac potus ſtimulos omnes ſentiunt.* 2. Opus eſſe, ut in propriis actionibus mala experiamur conſectaria. *Quia opportet illa ex hiſtoria diſcere, atque exemplis, & credere experto,*

perto, ſimiles enim cauſæ ſimiles producunt effectus, 3. Innatas eſſe legum naturalium ideas. *Quia tunc in omni ætate, & perſona eadem eſſet illarum cognitio, quod falſum eſt, non ergo illarum cognitio, ſed facultas eas cognoſcendi nobis innata eſt.* 4. Leges naturales cognoſci per inſpirationem, & revelationem ſpecialem: *Quia eo ipſo non ſunt naturales, Et quid faciendum, ſi e duobus privato ſpiritu agitatis unus aliquid agendum & alter idem omittendum affirmet?* 5. Poſſe easdem cognoſci ex auctoritate, id eſt exemplo, judicio, & informatione aliorum. *Quia non eſſent naturales; deinde, qui vel nullam haberent informationem, vel malam, poſſent impune ſcelera comittere?* 6. Pro certo ex revelatione. *Quia, quas ex revelatione diſcimus, non ſunt naturales: & ipſa revelatio docet, poſſe leges naturales absque revelatione cognoſci.* D. Paulus Rom. II. 14. Etiam gentes, quæ legem (videlicet revelatam) non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt. 7. Rationem eſſe per peccatum originale, vitiatam. *Quia non eſt ſublata, ſecus nec libertatem haberemus.* 8. Multos ratione utentes erraſſe. *Quia etiam poſt revelationem multi errarunt, quod tamen revelationi attribui non poteſt, errores proveniunt a non debito uſu rectæ rationis.* Quod ſi quis propterea nos de contemptu revelationis accuſaret; *Dicito illi, ut primum probet, illum conſpicilia*

con-

contemnere, qui illis non utitur propterea, quia etiam absque illis bene videt.

§ 37.

Antequam, quod ſit principium objectivum cognoſcendi leges naturales, ſtatuamus, juvat ejus characteres examinare: 1. debet eſſe *verum.* Quia ſecus ex falſo falſæ quoque leges deducerentur, 2. *perſpicuum.* Quia obſcurum non omnis homo intelligit, & multo minus eo uti poteſt ad cognoſcendas veritates. 3. *adæquatum*, hoc eſt tale, quod omnes, & ſolas leges naturales complectatur. Quia ſi non complectatur omnes leges naturales, erit tantum principiatum, ſi vero non ſolas, tunc inter deductas leges naſcetur dubium, an ſint naturales, vel poſitivæ. 4. *domeſticum*, ſeu huic diſciplinæ proprium, ut nimirum tantum ad leges naturales demonſtrandas valeat. 5. *primum*, ſeu tale, ex quo omnes leges naturales tanquam ex fonte poſſint derivari, 6. *univerſale*, ſeu tale, ut ad illud poſſint omnes leges naturales tanquam ſpecies ad ſuum genus deduci. Quia hæc tria ſub adæquato continentur. Hinc licet Thomaſius, & Heineccius tres tantum priores ponant characteres, propterea non diſſentiunt. Quia, quod eſt adæquatum, illud & domeſticum, & primum, & univerſale eſt. Et quidem tale principium neceſſarium, & utile eſt: *neceſſarium* propterea. Quia ea eſt ratiociniis natura, ut niſi

uni-

univerſalis aliqua propoſitio præmittatur, recta ratio peculiares eruere concluſiones non poſſit, ex meris enim particularibus nihil ſequitur. *Utile* propterea. Quia difficiles quæſtiones ad illud exigi, & ſecure decidi poſſunt, & legum naturalium nexus conſtrui.

Non dicas impoſſibile eſſe tale principium: Quod finita propoſitio infinitas leges naturales non poſſit complecti. Quia non complectitur phyſice, ſed quemadmodum genus infinitas ſpecies. *Non dicas non eſſe neceſſarium*: Quod indocti ſine principio ſciant leges naturales, & quod nec aliæ diſciplinæ habeant tale principium. Quia indocti vulgarem tantum habent cognitionem, non ſcientificam: Ab aliis autem diſciplinis ad noſtram utpote diverſam non valet argumentum, licet omnes diſciplinæ ſua habeant principia, & pleræque etiam univerſale, uti Theologia poſitiva revelationem, phyſica vires attractivas, & repulſivas. *Non dicas eſſe inutile*, Quod docti, licet acriter de eo inter ſe diſputent, in concluſionibus tamen conveniant. Quia ſi in concluſionibus conſentiunt, non poterant in principiis niſi verborum ſono diſcrepare, æquale enim rationatum ſupponit æqualem rationem ſufficientem; ſicut, ſi differunt in principiis, debent etiam in concluſionibus differre.

§ 38.

§ 38.

Principium objectivum cognoſcendi leges naturales, ſunt *fines rerum a Deo creatarum, quatenus ex ipſa earum natura ſolo lumine rationis intelligi, & liberis actionibus applicari poſſunt.* Quia ex his cognoſcimus voluntatem Dei naturaliter obligatoriam, Deus enim qua naturæ auctor voluntatem ſuam non verbis, ſed factis manifeſtavit, ergo cognoſcimus leges naturales, voluntas enim Dei eſt principium exiſtendi legum naturalium, ſed id, ex quo leges naturales cognoſcimus eſt principium objectivum, ergo. Hinc *primo* unica generalis naturæ lex deducitur: *Vive finibus rerum a Deo creatarum convenienter*, hoc eſt, pone omnes actiones, quæ cum his finibus conſentiunt, & omitte omnes, quæ diſſentiunt, quod ſi occurant plures actiones, quæ æqualiter conſentiunt, elige, quæ placet. Quia primi generis actiones ſunt bonæ, ergo præceptæ, ſecundi generis malæ, ergo prohibitæ, tertii generis objective indifferentes, ergo permiſſæ. *Cave autem putes*, hanc generalem naturæ legem eſſe ipſum principium. Quia eſt tantum conſectarium ejusdem. *Deinde* tres partiales leges promanant: 1° Pone omnes actiones, quæ cum manifeſtatione perfectionum divinarum conſentiunt, & omitte contrarias. 2° Pone omnes actiones, quæ cum tui conſervatione, & perfectione conſen-

 tiunt,

tiunt, & omitte contrarias. 3° Pone omnes actiones, quæ cum aliorum conſervatione, & perfectione conſentiunt, & omitte contrarias. Quia vivendum eſt finibus rerum a Deo creatarum convenienter, jam autem tres ſunt fines, quos Deus homini in creatione præfixit, ergo. Ex his patet tria eſſe naturalia hominum officia: amorem Dei, amorem ſui, & amorem proximi. Quia tres ſunt hominis fines, quibus convenienter vivere obligatur, obligationi correlatum eſt jus, uſus autem juris eſt officium, ergo.

Dantur quidem officia etiam erga angelos. Sed non ſunt naturalia, ſiquidem illos ſola ratione non cognoſcimus. *Quod vero* intuitu brutorum facimus, ea conſervamus, ſepelimus &c. pertinet ad officia erga nos, & alios.

§ 39.

Alterum argumentum pro ſtabiliendo principio objectivo: quia habet omnes characteres principii objectivi, eſt enim *verum*, quia tres hominis fines a Deo intentos, & tria ejusdem naturalia officia nemo negare poteſt. Eſt *perſpicuum*; quia hos fines, & inde fluentia hominis officia rudiſſimus quisque intelligit. Eſt *adæquatum*. Quia nulla lex naturalis proferri poteſt, quæ ex hoc principio non poſſet deduci; & quia eſt adæquatum, eſt etiam *domeſticum, primum*, & *univerſale*, ergo.

Obji-

Objiciunt nonnulli non eſſe perſpicuum, quod nec omnes fines rerum creatarum nobis cogniti ſint, v. g. herbarum, nec illo audito ſtatim omnes leges intelligamus. Verum nos non omnes fines rerum creatarum pro principio aſſumimus, ſed eos tantum, qui ex natura rerum ſolo lumine rationis intelligi, & liberis actionibus poſſunt applicari, uti ſunt tres fines hominis, deinde ad perſpicuitatem principii ſufficit, ſi ratiocinando poſſint veritates erui, ſecus nec principium metaphyſicum contradictionis eſſet perſpicuum. *Alii vero negant eſſe adæquatum*, quod ex eo etiam poſitivæ leges poſſint deduci, vel quod hæc propoſitio: nemo ad impoſſibilia obligatur, inde deduci non poſſit. Illis dicimus, cum nos fines poſitivos non conſideremus, neque poſſumus inde leges poſitivas deducere; his vero: dicta propoſitio non eſt lex, ſed negatio legis. Quod ſi in legem convertamus; *coge neminem ad aliquid impoſſibile*, jam poterit deduci: quia cogere ad impoſſibilia repugnat amori erga alios.

§ 40.

*P*rincipia legum naturalium a diverſis hujus diſciplinæ cultoribus prodita ad tres claſſes revocantur, I. Aliqua a noſtro nonniſi verbis differunt: talia ſunt; actiones liberas determina per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales. Vive ſecundum naturam. Se-

quere veritatem realem. Bonum fac, & malum vita &c. II. Aliqua ſunt inadæquata: conſerva te ipſum. Utilitatibus tuis conſule. Vive ſocialiter. Non turba pacem externam &c III. Aliqua ſunt manifeſte falſa. Fac id, quod natura omnia animalia docuit. Vive ſtatui integritatis convenienter. Vive ſecundum præcepta Noemo data, &c. Vide CL. Martini de lege naturali exercitat. §. 117. 118. 119. &. 120.

§ 41.

Legum naturalium proprietates ex datis principiis promanant; ſuntque ſequentes: *Sunt perſpicuæ, & ſufficienter per rationem promulgatæ.* Perſpicuæ ideo, quia fines rerum a Deo creatarum, ex quibus leges naturales deducuntur, rudiſſimus quisque intelligit. Sufficienter promulgatæ ideo, quia ſola ratione poſſumus actionum noſtrarum bona, & mala conſectaria cognoſcere, & ſic in cognitionem legum naturalium devenire, quod promulgare eſt. Hinc nemo ratione præditus poteſt habere *invincibilem ignorantiam* juris naturalis, ſeu talem, qua legem aliquam naturalem exiſtere neſciret. Quia leges naturales ſunt ſufficienter promulgatæ. Poteſt tamen habere invincibilem *ignorantiam facti*, ſeu talem, qua actionem quampiam particularem ſub lege comprehenſam eſſe neſciat. Quia ſæpe rerum particularium non habemus ex

experientiam: ſic Noemus ſcivit ebrietatem eſſe prohibitam, ſed illam ex vino oriri neſcivit.

Non dicas leges naturales, præſertim remotiores non perſpici a rudibus. Quia licet non perſpiciant ſcientifice, ut illas poſſent demonſtrare, ſciunt tamen vulgariter, & quidem etiam remotiores, dummodo velint quamlibet actionem examinare, an officiis erga Deum, ſeipſum & alios conveniat, vel diſconveniat. *Neque urgeas* a paritate regularum medicinæ, & matheſeos, quæ non ſunt natura notæ, tametſi ſola ratione reperiantur. Quia hæc non ſunt ſemper, & omni homini neceſſariæ, ſicut leges naturales, cum ab omni actione morali homo abſtinere non poſſit; *quod ſi ex perſpicuitate* legum naturalium ad omittendum earum ſtudium concludas. Nego conſequentiam, ideo diſcendæ ſunt, ut earum ſyſtema comprehendatur, ut quælibet lex ex ſuis principiis demonſtrari poſſit; & ars eſt certior dux, quam natura.

§ 42.

II. *Proprietas.* Leges naturales ſunt mathematice certæ. Quia mathematica certitudo eſt veritatum ex certis principiis legitima concludendi ratione facta deductio, jam autem leges naturales habent certa principia, ex quibus legitima concludendi ratione deducuntur, ergo.

Ariſtoteles, & *Grotius* negant hanc certitudinem; quia 1° Matheſis a materia omni formas

ſeparat, 2° quia in veritatibus mathematicis non datur medium, omnis enim linea vel curva eſt. vel recta. 3° quia in moralibus minima circumſtantia mutat materiam legis. 4° quia de legibus moralibus lites ſunt inter Doctores. *Reſpondeo ad primum*: etiam nos poſſumus actiones in abſtracto conſiderare. *Ad ſecundum*: Etiam in veritatibus moralibus, ſi actiones in concreto ſpectentur, nulla datur indifferentia. *Ad tertium*: Etiam in matheſi minima acceſſio, vel deceſſio mutat quantitatem, ſed hoc certitudini nihil obeſt, illa enim non a qualitate objecti, ſed ab evidentia principiorum, & legitima concludendi methodo pendet. *Ad quartum*: In hoc quidem matheſis præſtat morali doctrinæ, ſiquidem illa adjuvetur conſtantibus ſignis, veluti numeris, & figuris, hæc autem utatur verbis ſæpe ambiguis, præterea illa non eſt obnoxia affectibus ſicut veritates morales, attamen iſta non ſunt defectus noſtræ ſcientiæ, ſed defectus limitati intellectus.

§ 43.

III. *Proprietas.* Leges naturales ſunt immutabiles, hoc eſt, quamdiu eadem eſt natura actionum humanarum, eædem quoque ſunt leges. Quia leges naturales rationem proximam habent in eſſentia humana, remotam in eſſentia divina, ſed eſſentiæ ſunt immutabiles. Quia naturalia actionum ſub iisdem circumſtantiis conſideratarum

rum conſectaria ſemper ſunt eadem, ſunt enim actionibus eſſentialia, ſed in connexione horum ſita eſt obligatio, & lex naturalis, ergo.

Propterea autem non recedas a ſententia: Quod leges divinæ poſitivæ, uti erant Hebræorum ceremoniales, & forenſes mutatæ ſint. Quia hæ fundabantur in Dei voluntate, qui eas non voluit niſi pro tempore, leges vero naturales fundantur in ejus eſſentia. *Neque propterea* quod dentur leges naturales, quæ non ſemper obligant, v. g. debitum ſolvere non obligor, ſi non contraxi. Quia ſunt tantum hypotheticæ leges, quæ non exiſtentibus certis circumſtantiis non extiterunt. Sic in caſu colliſionis debilior lex non obligat, quia pro tali rerum ſtatu non fuit lata. *Ideo tamen non neges Dei omnipotentiam.* Quia omnipotentia eſt vis omnia agendi, quæ ſalvis divinis perfectionibus fieri poſſunt, jam autem leges naturales mutare repugnat divinæ eſſentiæ: quod vero Deus Abrahamo præceperit occiſionem filii, Iſraelitis permiſerit vaſa Ægyptiorum aurea auferri, uſus eſt jure ſuo ſupremi dominii, pro quali rerum ſtatu nulla eſt lex; ſic potes tu ipſe tuum debitorem a ſolutione abſolvere. *Sed neque illud tibi quidquam faceſſat.* Quod homo poſſit ſuis juribus, conſequenter obligationibus renunciare, Quia hoc verum eſt de juribus permiſſivis, quibus nulla eſt correlata obligatio, ergo etiam nulla mutatio legis.

§ 44.

IV. *Proprietas.* Leges naturales ſunt neceſſariæ, hoc eſt, quam primum exiſtit natura humana, debent etiam leges naturales exiſtere. Quia quod immutabile eſt, ejus oppoſitum repugnat, & cujus oppoſitum repugnat, id neceſſarium eſt, atqui leges naturales immutabiles ſunt, ergo etiam neceſſariæ.

Nihil obſtat, quod & natura humana, & multarum legum circumſtantiæ ſint contingentes. Quia primum in hoc ſenſu verum eſt, quod homo potuiſſet etiam non exiſtere, at in hoc ſenſu falſum, quod, poſtquam exiſtit, ejus natura illi ſit contingens, ſecus enim non eſſet homo: ex ſecundo autem conſequitur, ut legis neceſſitas alia ſit abſoluta, v. g. non blasphemes, alia hypothetica, v. g. ſolve debitum, ſi illud contraxiſti.

§ 45.

V. *Proprietas.* Leges naturales ſunt æternæ, hoc eſt ab æterno veræ, illas ſibi Deus inde ab æterno non poterat alio repræſentare modo, quam quo nunc ſunt, ſic amor proximi in mente Dei fuit ſemper bona actio, odium vero proximi ut mala actio. Quia quod immutabile, & neceſſarium eſt, id ſemper ita fuit, ſicut nunc eſt, ſive æternum eſt, ſed leges naturales immutabiles ſunt, & neceſſariæ. ergo

etiam

etiam æternæ. *Deinde* veritates mathematicæ dicuntur æternæ, quia neceſſariæ ſunt, atque immutabiles, ergo etiam leges naturales.

Si objiciatur. Leges naturales ortas eſſe cum primo homine: *Concedito* quoad promulgationem, & exiſtentiam, *Negato* quoad eſſentiam, & veritatem, *atque dicito* temporariam legum naturalium cognitionem non officere æternitati earundem: ſane providentia Dei æterna eſt, quamvis ejus actus cœperit in tempore. *Si urgearis*: leges divinas poſitivas non eſſe ideo æternas, quod illas ſibi Deus ab æterno repræſentaverit: *Dato diſparitatem*: leges poſitivas Deus ſibi poterat pluribus modis repræſentare, fundantur enim in ejus arbitrio, quod contingens eſt, at leges naturales unico tantum, in ejus enim eſſentia, quæ immutabilis eſt, fundantur.

§ 46.

VI. *Proprietas.* Leges naturales habent internam moralitatem, hoc eſt, ideo ſunt aliquæ actiones præceptæ, quia jam in ſe ante omne præceptum erant bonæ, & ideo aliquæ prohibitæ ſunt, quia in ſe ante omnem prohibitionem erant malæ. Quia omnis actio libera habet bonitatem, vel malitiam internam, ergo internam moralitatem. *Deinde* ſi actionum humanarum bonitas, & malitia externa eſt, tunc ex natura actionis non intelligitur, ergo non eſt naturalis,

 ergo

ergo non dantur leges naturales, quod falſum eſt. *Denique* quod actioni extrinſecum eſt, id etiam contingens eſt, & mutationi obnoxium, ergo leges naturales eſſent mutabiles, quod iterum falſum.

Puffendorfius contrariæ eſt ſententiæ ex his fere argumentis: *Primum*, quod eadem actio jam ſit mala, jam non mala, ſic ſi ſtultus hominem occidat, non peccat, peccat autem, ſi idem faciat ſibi præſens. Sed hæ non ſunt eædem actiones, ſtulti eſt phyſica, non ſtulti eſt moralis, ergo diverſa etiam conſectaria; actionem bonam, quatenus a libertate proficiſcitur, ſpes, voluptas, & animi quies comitantur, malam vero metus, tædium, mentisque perturbatio. *Deinde*, quod comittamus circulum vitioſum; interrogati enim cur aliqua actio ſit bona, reſpondemus, quia eſt præcepta, & cur ſit præcepta, reponimus, quia eſt bona. Verum nos ita non reſpondemus, ſed ad quæſtionem, cur aliqua actio ſit bona, dicimus, quia habet bona conſectaria, & ideo debebat præcipi. *Poſtea*, quod ſtatuamus principium Deo coæternum, quod ille in aſſignandis rerum formis ſequi debebat. Sed illud eſt eſſentia Dei, adeoque a Deo non diſtinctum principium, in quo omnis poſſibilitas, & veritas legum naturalium fundatur. *Denique*, quod intellectum a Dei voluntate ſeparemus, ſiquidem affirmamus ideo Deum præcipere, aliquam actionem, quia eam ut bonam

nam in ſe cognovit. Verum non ſeparamus Dei perfectiones, ac ſi eſſent res diverſæ, ſed tantum diſtinguimus eas in noſtro concipiendi modo ſecundum varias ſuas operationes. Ita intellectum Dei ejus voluntati præire concipimus, veluti nemo hominum aliquid velle poteſt, niſi illud prius cognoſcat.

§ 47.

VII. *Proprietas.* Aliquæ leges naturales (nimirum officia erga ſe, & alios) poſſunt etiam præſcindendo a Deo concipi. Quia præſcindendo a Deo poſſumus ope rationis cum actionibus noſtris liberis cognoſcere connexa eſſe vera bona, vel vera mala tanquam motiva, ut videlicet bona amplectamur, & mala fugiamus, v. g. cum temperantia ſanitatem, cum intemperantia morbos &c., jam autem connexio veri boni, vel veri mali tanquam motivi cum actione libera eſt obligatio, & propoſitio enuntians obligationem eſt lex, ergo. Sic poſſumus alicujus machinæ leges phyſicas cognoſcere, quin ſciamus, quis illam conſtruxerit. Et utique ad cognitionem legis non eſt opus cognitione legislatoris.

Si dicas hanc doctrinam favere Atheismo, caluminaris. Non enim negamus Deum, qui ſi non exiſteret, nulla natura eſſet poſſibilis, conſequenter nec ulla lex naturalis; ſed probamus nullum Atheum poſſe omnes morum regulas pe-

dibus

dibus impune conculcare, *At inquies* ſine fide erga Deum nullus urgebit legis cuſtodiam. Nego, urgebunt enim conſectaria actionis, quæ neceſſitatem hypotheticam imponunt agendi quod bonum eſt, & omittendi malum. *Sed hoc conſectaria erunt tantum conſilia.* Nego, non enim tantum ſignificantur eſſe connexa, ſed reipſa per naturam cum actionibus connexa ſunt. *Sed hæc conſectaria non ſunt præmia, nec pœnæ.* Nego, ſunt enim bona, vel mala tanquam motiva cum actione connexa, & talia ſunt præmia, vel pœnæ. *Sed ſaltem tunc non erunt pœnæ hæc conſectaria mala, ſi agenti placeant.* Nego, circulus enim rotundus erit, licet alicui ſtulto quadratus videatur. *Sed hac ratione hominem propria tantum utilitas, cui renuntiare licet, obligaret.* Si veram utilitatem, id eſt perfectionem, quæ ſcopus legum eſt, intelligas, bene quidem, ſed qui huic renuntiat, aut præmii jacturam patitur, aut pœnæ ſenſum nequit effugere: ſi autem ſpuriam aliquam utilitatem intelligas, male; talis enim apparens utilitas cum ſit verum malum, hominem etiam absque fide erga Deum non poteſt obligare, malum enim averſamur.

§ 48.

VIII. *Proprietas.* Leges naturales ſunt ſubjective, & objective univerſales. Subjective univerſales, hoc eſt obligant omnes homines uſu rationis præditos vel abſolute, vel hyopthe-

thetice prout nimirum vel abſolute, vel hypo. thetice naturales ſunt. Quia ſubjectum legum naturalium ſunt omnes homines uſu rationis prædici. Objective univerſales, hoc eſt extendunt ſe ad omnes actiones liberas internas, & externas. Quia objectum legum naturalium ſunt omnes actiones liberæ. IX. *Proprietas.* Leges naturales ſunt juridice ſanctæ, hoc eſt impune violari non poſſunt. Quia cum violatione earum eſt ſemper malum connexum, quod pœna eſt, ergo. Equidem etiam leges poſitivæ ſanctæ ſunt, ſed naturales eminenter. Quia legum poſitivarum pœnæ ſæpe evitari poſſunt, non item naturalium, ſi quidem ex natura actionis fluant, & ſi in hac vita deficiant, earum compenſatio in altera expectanda eſt. X. *Proprietas.* Leges naturales ſunt faciles obſervatu. Quia juridice facile eſt, ad quod efficiendum fortes, & graves adſunt rationes, jam ad obſervantiam legum naturalium impellunt nos ſtimuli naturales, & recta ratio, invitant præmia, deinde conſecutio perfectionis, & evitatio imperfectionis, atque hinc enaſcens ſtatus gaudii durabils, ſive, quam in hac vita conſequi poſſumus, felicitas, ergo. Hinc, quæ ſæpe difficultas apud ſceleratos occurrit, ea naturalis non eſt, ſed adventitia: non legibus, ſed negligentiæ hominum adſcribenda.

C A-

CAPUT IV.

De Juribus hominum univerſalibus, & eo, quod inde fluit actionum moralium diſcrimine.

§ 49.

Omnes homines habent jura naturalia. Quia habent obligationes naturales, obligationi autem correlatum eſt jus. Et quidem jura naturalia vel ſunt *ſtricte talia*, vel *permiſſiva*. Quia obligationi in ſenſu affirmativo correlatum eſt jus ſtricte tale, & in ſenſu negativo correlatum eſt jus permiſſivum, ſeu libertas moralis, quæ a licentia probe diſtinguenda eſt: quia libertas moralis ſemper determinatur ſecundum bonum obtinendum, vel malum evitandum; licentia autem eſt effrænata appetentia ejus, quod lubet, ſine omni veri boni, vel veri mali diſcrimine. Hinc licet infantes, ſtulti non habeant jura ſtricte talia. Quia hæc pendent ab obligatione, cujus illi ſubjectum non ſunt, habent tamen jura permiſſiva; quia hæc a negatione obligationis oriuntur. Deinde jura naturalia vel ſunt *connata*, quæ ex natura humana abſolute conſiderata intelliguntur, v. g. jus ſe conſervandi. Vel *hypothetica*, quæ ex natura quidem

hu-

humana, ſed tamen interveniente quodam facto intelliguntur, v. g. jus exigendi debitum. Jura connata ſunt univerſalia, & in ſingulis hominibus æqualia. Quia deducuntur ex natura humana abſolute conſiderata, quæ ſingulis hominibus communis, & eadem eſt. Jura vero hypothetica ſunt ſingularia, & inæqualia. Quia deducuntur ex facto, quod nec omnibus commune eſt, nec ſemper æquale. Hinc inter homines, qua homines nec datur *Prærogativa*, ſeu jus unius præcipuum, nec *Præcedentia*, ſeu jus prioritatis in ordine a pluribus ſimul obſervando. Quia jura connata ſunt in omnibus hominibus æqualia.

Nec commemores e duobus ad anguſtam viam delatis unum neceſſario præcedere debere. Quia hæc præcedentia facti eſt, & non juris; neuter enim jus prioritatis probare poteſt.

§ 50.

Ad facilitandas ſequentes demonſtrationes: *Status hominis moralis in ſenſu ſtricto* eſt complexus jurium, quibus homo actu eſt inſtructus. Quia in ſenſu lato eſt complexus determinationum moralium, quæ de homine ut exiſtentes enunciari poſſunt, jam autem loco: *complexus determinationum moralium* poteſt ſubſtitui, *complexus jurium*, nulla enim determinatio moralis eſt ſine obligatione, & nulla obligatio, cui non eſſet correlatum aliquod jus. Et loco: *quæ de ho-*

homine ut exiſtentes enuntiari poſſunt, poteſt ſubſtitui; *quibus homo actu eſt inſtructus*, idem enim ſignificat, ergo. Hinc Perſona eſt homo cum ſuo ſtatu morali, cum ſuis juribus conſideratus. Quia jus eſt qualitas tantum homini competens. Ex hac ratione jure naturæ omnis homo habet perſonam. Quia habet jura, & ſtatum moralem. Homines abſolute, & ab origine ſpectati vivunt in ſtatu omnimodæ æqualitatis, hoc eſt, quod uni eſt præceptum, aut prohibitum, vel permiſſum, etiam reliquis omnibus. Quia jura connata ſunt æqualia.

Fruſtra objicis in ſtatu naturali alia habere jura patrem, *&* alia filium. Quia hi vivunt in ſtatu naturali hypothetico. *Alios* eſſe mares, alios fœminas, alios fortes, alios debiles. Quia hæc proveniunt a ſtatu phyſico, neque enim nobis de phyſica æqualitate, ſed de morali ſermo eſt. *Alios* item majori ingenio præ aliis eſſe præditos. Quia hæc non pertinent ad naturam humanam, ex qua æqualia jura connata proficiſcuntur.

§ 51.

Præterea homines abſolute conſiderati habent jus libertatis a ſubjectione: ſed prius ſciendum eſt, quid ſit imperium, & ſubjectio. *Imperium* eſt jus actiones alterius ad certum quemdam finem pro arbitrio determinandi; qui hoc jus habet, vocatur Imperans, vel ſuperior.

Sub-

Subjectio autem eſt obligatio actiones ſuas voluntati Imperantis attemperandi; qui talem habet obligationem, ſubjectus, inferior eſt. In ſtatu etiam naturali abſoluto omnes homines ſumus Deo ſubjecti. Quia obligamur voluntati ejus, quam ex finibus rerum creatarum cognoſcimus, morem gerere. Jam libertas a ſubjectione eſt independentia ab alterius hominis arbitrio, hoc eſt, nemo tenetur actionum ſuarum alteri rationes reddere, ſed poteſt ſuum in agendo ſequi judicium. Quia in ſtatu naturali abſoluto nullus hominum habet imperium in alterum, ſecus daretur prærogativa, & jura connata non eſſent æqualia, ubi autem nullum eſt imperium, ibi non ſubjectio, ſed eſt libertas a ſubjectione. Inter ſtatum autem libertatis, & æqualitatis hoc eſt diſcrimen: quod æqualitas tollatur per quamlibet prærogativam, libertas vero per ſolum imperium: & hinc non omnis ſtatus libertatis eſt etiam ſtatus omnimodæ æqualitatis. Quia ſalva libertate multa poſſunt accedere jura adventitia.

§ 52.

Ut alia adhuc jura connata intelligamus, definiri debet: ſuum, & meritum hominis, atque læſio. *Suum hominis* ſunt bona, perfectiones, & jura, quibus homo eſt actu inſtructus; aliud eſt *connatum*, ſeu bona, perfectiones, & jura quibus homo a natura abſolute conſiderata

eſt inſtructus, uti corpus, anima, & utriusque facultates, jus æqualitatis, libertatis. Aliud *aquiſitum*, ſeu bona perfectiones, & jura, quibus homo dependenter ab aliquo facto eſt inſtructus, uti habilitas corporis, exercitatio facultatum animæ, divitiæ. *Meritum* autem ſunt bona, perfectiones, & jura, quibus homo nondum eſt inſtructus, ſed tamen illis dignus judicatur, v. g. pauper habet meritum, ut elemoſynam obtineat. *Læſio in ſenſu lato*, eſt omnis actio, qua ſuum alterius diminuitur; ſic nos lædere poſſunt bruta, mente capti, ipſæque tempeſtates; aliter dicitur læſio phyſica, vel infortunium. Læſio vero in *ſenſu ſtricto*, eſt actio libera, qua ſuum alterius violatur, aliter læſio moralis, vel injuria. Hæc dupliciter fieri poteſt; *Vel* ſi ſuum alterius auferatur; *Vel* ſi ponatur impedimentum exercitio juris alterius, quia exercitium juris ad ſuum hominis pertinet, jus enim ſine exercitio inane eſt. *Attamen*, qui jure ſuo utens alterum impedit in exercitio ſui juris, ille non lædit, v. g. ſi quis fodiendo puteum in ſuo fundo vicini ſui fontem exſiccaret. Quia ſecus darentur jura contradictoria, talis enim haberet jus ponendi actionem, & non haberet, quod abſurdum eſt.

§ 53.

Talia jura connata ſunt: *Jus ſe conſervandi.* Quia ex natura humana abſolute conſiderata

qui-

quilibet homo habet finem, ut exiſtat, cui convenienter vivere obligatur, obligationi autem correlatum eſt jus, ergo quilibet homo habet jus ſe conſervandi. *Jus perficiendi.* Quia ex natura humana abſolute conſiderata quilibet homo habet finem, ut ſuis facultatibus animæ, & corporis utatur ad ſe, & ad alios perficiendos, cui convenienter vivere obligatur, obligationi correlatum eſt jus, ergo. *Jus rerum*, hoc eſt jus res neceſſarias, utiles, & jucundas aquirendi, & illis utendi. Quia res neceſſariæ ſunt media ſe conſervandi, res utiles, & jucundæ ſunt media ſe perficiendi, jam autem qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media, ergo. Eſt vero *res in ſenſu juris*, omne ens a perſona diſtinctum, quod poteſt eſſe in dominio. Hinc homo, ſol &c. non ſunt res, quia naturaliter non poſſunt eſſe in dominio; illud autem, quod jam eſt in dominio dicitur pecunia in ſenſu latiſſimo. *Jus ſecuritatis*, ſeu jus non patiendi, ut ab altero nobis noceatur. Quia ſecus inania eſſent jura ſe conſervandi, & perficiendi. *Securitas* autem eſt ſtatus, in quo nulla mala imminent; periculum eſt ſtatus, in quo mala imminent, quod vel *internum* eſt, ſi animæ, vel *externum*, ſi corpori, & cæteris rebus mala immineant. Hinc jure ſuo utitur, qui ſe periculis tam internis, quam externis ſubtrahit. Quia utitur jure ſecuritatis. *Jus defenſionis*, ſeu

jus reſiſtendi illi, qui læſionem intentat. Quia ſecus inutile foret jus ſecuritatis.

Dicet aliquis: Jus defenſionis pugnat cum libertate naturali. Nequaquam, ſed tantum licentiam cohibet, vi enim libertatis naturalis non licet leges naturales transgredi.

§ 54.

Jus connatum eſt etiam *jus violentiæ*, ſeu jus cogendi ſtrictiſſime ſumptum. Cogere in *ſenſu latiſſimo* eſt alteri malum quodcunque repræſentare, ut ab actione abſtineat. *In ſenſu minus lato* eſt alteri neceſſitatem phyſicam imponere, ſi nolit ab actione abſtinere, quin propterea, fiat imperfectior, v. g. furioſum compedibus obſtringere. *In ſenſu ſtrictiſſimo* eſt alterum malis phyſicis afficere, ut etiam imperfectior reddatur, ſi nolit a læſione abſtinere. Hoc jus habet homo. Quia eſt medium neceſſarium ſe defendendi. Hinc tamen non ſequitur, dari jus cogendi contra talem, qui tantum non auget noſtras perfectiones. Quia talis non lædit, jam autem tantum contra lædentem datur jus cogendi, hoc enim eſt ſpecies defenſionis, quæ tantum contra lædentem competit.

§ 55.

Item jura hominum alia ſunt perfecta, alia imperfecta. *Jus perfectum* eſt, quod nobis reſpectu aliorum competit, & in eo, quod noſtrum

ſtrum eſt, rationem habet; *Jus imperfectum*, quod nobis reſpectu aliorum competit, ſed tantum in merito noſtro fundatur. Sic emptor habet jus perfectum exigendi a venditore emptas merces. Pauper autem jus imperfectum habet, ut a divite obtineat elemoſynam. Hinc dantur erga alios obligationes, & leges perfectæ, atque imperfectæ. Quia omni juri correlata eſt obligatio, & omni obligationi ſua reſpondet lex: Sed etiam dantur officia erga alios perfecta, & imperfecta. Quia uſus juris eſt officium: Obligatio, lex, & officium erga alios perfectum eſt, ut neminem lædamus. Obligatio autem, lex, & officium erga alios imperfectum eſt, ut ſtudeamus aliis prodeſſe. Diſcrimen inter obligationem perfectam, & imperfectam eſt. Quod perfectæ ſatisfiat actione negativa, nimirum ceſſatione a læſione, conſiſtit enim in non lædendo; imperfectæ vero actione poſitiva, conſiſtit enim in alio perficiendo, quod nonniſi poſitiva actione impleri poteſt. Deinde: quod contra illum, qui violat obligationem perfectam, detur jus cogendi. Quia talis lædit, contra lædentem autem datur jus cogendi; contra illum vero, qui violat obligationem imperfectam, non detur jus cogendi. Quia talis tantum non perficit alium, ſed contra talem non datur jus cogendi. *Obſervandum* obligatio imperfecta non eo ſenſu imperfecta dicitur, quaſi liberum eſſet eidem ſatisfacere, vel non, hoc enim immutabili-

 tati

tati legis repugnat, ſed, quod non producat jus cogendi, quemadmodum obligatio perfecta. Item officia erga Deum, & erga ſe non admittunt hanc diviſionem. Quia relate ad Deum nihil eſt noſtrum; & quod noſtrum eſt, tantum cum relatione ad alios tale eſt.

Nonnulli jus perfectum definiunt eſſe jus, quod cum jure cogendi conjunctum eſt, & jus imperfectum, quod cum jure cogendi non eſt conjunctum. *Verum* non ſufficienter explicant: imprimis enim non exponunt fundamentum juris perfecti eſſe ſuum hominis, & imperfecti meritum hominis: *Deinde* poteſt aliquando jus cogendi a jure perfecto ſeparari; ſic jus libertatis perfectum eſt, jus tamen cogendi nonniſi in ſtatu adventitio læſionis obtinet. Et cum jure imperfecto jus cogendi conjungi, v. g. ſi pauperem in jure petendi eleemoſynam impedirem.

§ 56.

Denique jura hominum alia communia ſunt, alia propria. *Jus commune* eſt, quod omnibus ita competit, ut ab eo nemo arceri poſſit, v. g. jus ſe conſervandi. *Jus proprium eſt*, quod unus, aut plures conjunctim ita habent, ut reliqui omnes ab eo poſſint excludi, v. g. jus in hoc libro, quem emi. Hinc jura connata ſunt jura communia. Quia omnibus hominibus competunt. Jura vero hypothetica ſunt jura propria. Quia iis tantum competunt, qui illa ſibi facto

com-

comparunt. Ceterum jura pluribus propria poſſunt communia dici, v. g. jus educandi proles commune eſt omnibus parentibus. Quia ab hoc jure nemo parentum excludi poteſt, ſed etiam jura communia v. g. jus ſe conſervandi, &c. in quantum in ſingulis hominibus determinata ſpectantur, cuivis ſingulari perſonæ propria ſunt. Quia reliqui omnes, ſi ea invadant, vi arceri poſſunt.

§ 57.

Præterea jus connatum eſt *jus belli.* Sed prius ſciendum eſt, quid ſit pax, & bellum. *Pax* eſt ſtatus hominum ab omni violentia vacuus. *Bellum* autem eſt ſtatus, in quo homines conatum efficacem produnt mala phyſica aliis inferendi per vim: *Dico conatum efficacem:* ut bellum a certaminibus ludicris, & ludis equeſtribus diſtinguatur. *Dico conatum mala inferendi per vim:* quia ſine bello etiam poſſunt efficaciter alteri inferri mala, uti per fraudem, & blanditias. Jus belli habet homo. Quia habet jus cogendi, ſed jus belli eſt actuale exercitium juris cogendi, ergo. *Status hominis naturalis abſolutus eſt ſtatus pacis.* Quia ex natura humana abſolute conſiderata intelligimus nos debere finibus rerum a Deo creatarum convenienter vivere, ergo neminem lædere, ſed talis ſtatus eſt ſtatus pacis, ergo. *Status belli eſt ſtatus hypotheticus.* Quia ſtatus belli conſurgit tantum

ex poſito facto læſionis, ſed ſtatus, qui nonniſi ex præcedente aliquo facto intelligitur, eſt hypotheticus, ergo.

Verum quidem eſt jus belli eſſe connatum, attamen ejus exercitium non competit niſi poſito facto læſionis. *Neque provoces ad Thomaſium, & Hobbeſium.* Quia hi malas hominum proclivitates pro natura humana ſtatuerunt, non mirum ergo, ſi ex falſo principio falſæ quoque fluant concluſiones.

§ 58.

Juſtum triplicem habet ſignificationem: *In ſenſu latiſſimo* eſt omne id, quod alicui legi eſt conforme. In ſenſu *minus lato*, quod officiis erga alios convenit. Quia juſtum in ſenſu latiſſimo eſt, quod alicui legi eſt conforme, jam autem leges naturales ad tria hominum officia reducuntur, nempe ad officia erga Deum, erga ſe & erga alios, ergo juſtum in ſenſu latiſſimo eſt, quod alicui ex his officiis eſt conforme, ſed id, quod officiis erga Deum convenit, dicitur *pium*, & quod officiis erga ſe convenit, dicitur *honeſtum*, ergo, quod officiis erga alios convenit, eſt juſtum in ſenſu minus lato. Juſtum in *ſenſu ſtrictiſſimo* eſt, quod officiis erga alios perfectis convenit. Quia juſtum in ſenſu minus lato eſt, quod officiis erga alios convenit, ſed officia erga alios vel perfecta ſunt, vel imperfecta, & id, quod officiis erga alios imperfectis conve-

venit, dicitur *æquum*, ergo. Ita diſcurrendum ab oppoſito de ſignificatione *injuſti*. *Honeſtum* etiam triplicem habet ſignificationem: *In ſenſu latiſſimo* eſt omne id, quod alicui legi conforme eſt, ſed quatenus ad voluntatem agentis refertur, meretur omnium approbationem. *In ſenſu minus lato*, quod officiis erga ſe convenit. Quia honeſtum in ſenſu latiſſimo eſt, quod alicui legi eſt conforme, leges autem naturales tria hominum officia complectuntur, & quod officiis erga Deum convenit, eſt pium, quod officiis erga alios convenit, eſt juſtum, ergo. *In ſenſu ſtrictiſſimo*, quod officiis erga ſe convenit. Quia honeſtum in ſenſu minus lato eſt, quod officiis erga ſe convenit, jam autem officia erga ſe alia interna ſunt, alia externa, & id quod officiis erga ſe externis convenit, dicitur *decorum*, ergo. Ita ab oppoſito diſcurrendum de *inhoneſto*.

§ 59.

Virtus eſt habitus leges cuſtodiendi; vitium eſt habitus leges violandi. Habitus vero eſt facilitas, & promptitudo ex frequentatis actibus aquiſita. Hinc, qui una, alterave vice legem cuſtodit, bene quidem agit, ſed nondum habet virtutem. Quia ad virtutem requiritur habitus: Idem judicium habeto de vitio. Sed etiam nuda actionis cum lege convenientia absque propoſito voluntatis non eſt virtus. V. g. ſi debitum cum indignatione ſolvas. Quia ad

 vir-

virtutem requiritur legis cuſtodia, ad cuſtodiam autem intellectus, & voluntatis conſentiens uſus, qui in dicta actione deſideratur, ergo. Virtus ratione legis alia eſt *Philoſophica*, ſeu naturalis, habitus leges naturales cuſtodiendi; alia *Chriſtiana*, habitus leges divinas poſitivas cuſtodiendi, alia *civilis*, habitus leges humanas civiles cuſtodiendi. Quia virtus eſt habitus leges cuſtodiendi, leges autem vel ſunt naturales, vel poſitivæ, hæ porro vel divinæ, vel humanæ. Sic etiam vitium. Nobis ſermo eſt tantum de virtute, & vitio naturali: virtus naturalis alia eſt *pietas*, ſeu habitus cuſtodiendi officia erga Deum, alia *honeſtas* ſeu habitus cuſtodiendi officia erga ſe interna, alia *decentia*, ſeu habitus cuſtodiendi officia erga ſe externa, alia *juſtitia* ſeu habitus cuſtodiendi officia erga alios perfecta, alia *æquitas*, ſeu habitus cuſtodiendi officia erga alios imperfecta. Quia virtus naturalis eſt habitus leges naturales cuſtodiendi, leges autem naturales tria hominum officia in ſe continent: Hinc facili negotio vitia contraria *impietatem*, *inhoneſtatem*, *indecentiam*, *injuſtitiam*. & *iniquitatem* explicabis. *Obſervandum.* Juſtitia quidem ſicut juſtum nunc magis, nunc minus late patet, attamen juſtitia in ſenſu ſtricto una eſt. Quia in ſola abſtinentia a læſione conſiſtit, ſic enim officiis erga alios perfectis ſatisfit, in quorum cuſtodia juſtitia ſtricte talis ſita eſt.

Scio

Scio Ariſtotelem juſtitiam dividere in *univerſalem*, quæ omnes virtutes complectitur, & *particularem*, quæ officia erga alios. Particularem vero in *diſtributivam*, quæ in rebus ſecundum quid communibus dividendis verſatur proportione geometrica, v. g. in diviſione hereditatis; in *commutativam*, quæ ad res proprias in alterum proportione arithmetica transferendas pertinet, v. g. in emptione venditione. In *remuneratoriam*, quæ præmia, & *vindicativam*, quæ pœnas aſſignat. Verum ſola juſtitia diſtributiva, & commutativa eſt juſtitia, in ſenſu ſtricto, univerſalis eſt juſtitia in ſenſu latiſſimo, particularis eſt juſtitia in ſenſu minus lato, vindicativa autem, & remuneratoria eſt æquitas. *Scio deinde Grotium* juſtitiam dividere in *expletricem* quæ ſuum alterius non violat, & *attributricem*, quæ alterius meritis congruit. Sed reipſa tantum expletrix eſt juſtitia ſtricte talis, & attributrix eſt æquitas. *Scio denique Hobbeſium* juſtitiam dividere in *internam*, ſeu habitum animi ſuum cuique tribuendi, & *externam*, ſeu nudam actionis cum lege convenientiam. Verum contra regulas logicæ eſt dividere juſtitiam in juſtitiam, & nullam juſtitiam, nuda enim actionis cum lege convenientia non eſt virtus. Quod vero talis eſſe judicetur, ratio eſt, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus introſpicere, poteſt tamen Deus.

§ 60.

§ 60.

Jus connatum bonæ exiſtimationis eſt jus, vi cujus quilibet homo præſumendus eſt juſtus in ſenſu latiſſimo, hoc eſt nullis fædatus vitiis, donec ex turpibus factis de ejus malitia, & vitioſitate conſtiterit. Quia vitia contrahuntur factis, facta autem ex natura humana abſolute conſiderata non intelliguntur, ergo. Ex hoc tamen non ſequitur, quemlibet præſumendum eſſe bonum, donec probetur malus. Quia eſſe bonum, ſignificat eſſe perfectum, bonum enim eſt, quod adfert perfectionem, conſequenter pietate, honeſtate, aliisque virtutibus eſſe inſtructum, jam autem virtutes factis comparantur, quæ ex natura humana abſolute conſiderata non intelliguntur, ergo. Hinc non agit contra jus connatum bonæ exiſtimationis, qui promiſſionem juramento confirmatam prætendit.

Non urgeas pervulgatam regulam: Quilibet præſumendus eſt bonus, donec probetur malus. Quia niſi per bonum intelligas juſtum in ſenſu latiſſimo, falſa eſt.

CAPUT V.

De varia actionum moralitate, imputatione, ac conſcientia.

§ 61.

Actiones morales differunt inter ſe vel ratione *objecti*, circa quod verſantur, ſic aliæ ſunt piæ, aliæ honeſtæ, vel ratione *ſubjecti*, quod illas ponit, ſic eadem actio poteſt jam magis, jam minus eſſe bona, vel mala; ita peregrinum occidere eſt injuſta actio, occidere amicum magis injuſta, occidere patrem adhuc magis injuſta, & quidem hujus rei duplex eſt ratio: *Prima*: Quia eædem actiones poſſunt jam fortiori, jam debiliori legi convenire, vel diſconvenire, ergo jam magis, jam minus eſſe bonæ, vel malæ, actio enim bona eſt, quæ legi convenit, & mala, quæ legi diſconvenit. *Altera*: Quia moralitas actionum dependet a libertate, id eſt a ſpontaneitate, contingentia, & intelligentia, ſed hæc reſpectu ejusdem actionis jam creſcere, jam decreſcere poſſunt, ergo etiam.

Stoici dicebant: Non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quam qui patrem ſuffocaverit, ſicut enim vero nihil eſt verius, & falſo nihil magis falſum, ita etiam bono nihil

me-

melius, & malo nihil pejus. Sed diſpar ratio eſt: Veritas enim, & falſitas fundatur in eſſentia rerum, quæ immutabilis eſt, nempe in conformitate, vel difformitate objecti, quod magis eſſe, vel non eſſe, quam reipſa eſt, non poteſt; moralitas autem provenit a libertate, quæ mutabilis eſt.

§ 62.

Ut imputationem intelligamas debemus ſcire *factum* eſſe actionem, vel omiſſionem liberam ſingularem, quæ ſcilicet perſona, loco, tempore, & ceteris adjunctis eſt circumſcripta, vocatur aliter *ſpecies facti*. *Auctor* eſt cauſa efficiens libera facti. *Imputatio* autem eſt judicium quo factum, & ejus conſectaria libero alicujus arbitrio aſſignantur, ſeu judicium, vi cujus quis ob ſuum factum præmio, vel pœna dignus cenſetur. Quia qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Omnis imputatio conſtat ratiocinio, id eſt concluſione deducta ex facto ad legem applicito. Quia in imputatione examinatur primum factum, & illud alicui tribuitur, hæc eſt *ſyllogiſmi major*, dein expenduntur conſectaria bona, vel mala cum actione connexa, & intelligitur lex, hæc eſt *ſyllogiſmi minor*, denique auctor ſanctioni legis ſubjicitur, ſeu declaratur præmium, vel pœnam eſſe promeritus, & *hæc eſt concluſio deducta ex facto ad legem applicito*, ergo. V. g. Petrus patravit homicidium, ſed

talis

talis gladio punitur, ergo. Hinc imputatio vel eſt *vera*, ſi adſit & factum, & lex, & factum ſub lege contineatur, vel *falſa*, ſi vel non adſit factum, vel non adſit lex, vel factum ſub lege non contineatur. Quia imputatio eſt judicium, ſed judicium vel verum, vel falſum eſt. Item imputatio vel eſt *certa*, ſi cognitionis, quam habemus de facto, & lege poſſimus rationem ſufficientem aſſignare. Quia hoc eſt certa cognitio. Vel *incerta*, ſi cognitionis, quam habemus de facto, & lege non valeamus rationem ſufficientem aſſignare. Quia hoc eſt incerta cognitio. *Incerta* vero imputatio, vel eſt *probalis*, ſi ad veritatem accedat magis, vel *improbabilis*, ſi ad falſitatem accedat magis, quin tamen propterea manifeſte erronea ſit: Probabilis habet ſuos gradus, ideo *probabilior* eſt, quæ plures habet veritatis notas, *improbabilior*, quæ plures habet falſitatis notas. Vel *dubia*, ſi æquales adſint rationes, ut aliquis auctor facti affirmetur, vel negetur. *Notandum:* Omnis hæc incertitudo ſe tantum ex parte noſtri intellectus habet, qui limitatus eſt, & jam magis, jam minus exercitatus, ideo aliqua propoſitio, uni poteſt eſſe certa, vel probabilis: quæ alteri incerta eſt; a parte rei autem omne quod verum eſt, in ſe certo verum eſt, quia ſimul eſſe falſum non poteſt.

Nonnulli imputationem dividunt in *facti*, vi cujus auctori factum imputatur, & *juris*, vi

cu-

cujus auctori jus imputatur. Sed male: quia nemini poteſt jus ſine facto imputari, & ideo hi duo actus ad omnem imputationem ſpectant: Unde tamen verum eſt, in omni imputatione tres cogitari poſſe perſonas: unam, quæ factum imputat, & vocatur *actor*, alteram, quæ jus imputat, & vocatur *judex*, tertiam, cui & factum, & jus imputatur, & vocatur *reus*. Verum hæ perſonæ non ſunt ſemper diſtinctæ: Sic ſi reus ſe ipſum accuſet: Vel ſi quis ſuam examinet conſcientiam.

§ 63.

Subjectum imputationis ſunt tantum libertate inſtructi. Quia imputatio eſt judicium, quo factum *libero* alicujus arbitrio aſſignatur. *Objectum* ſunt tantum actiones liberæ. Quia imputatio eſt judicium, quo *factum* alicui aſſignatur, ſed factum eſt actio, vel omiſſio libera. *Fundamentum* eſt lex, ſub qua factum continetur. Quia imputatio eſt judicium, quo factum, & *ejus conſectaria* alicui aſſignantur, ſed conſectaria cum actione connexa ſunt lex, ergo.

Sed dicet aliquis: ſæpe parentum facta proſunt liberis, ſæpe nocent. Illud eſt fortuna, hoc infortunium. *Vel* dicet dari imputationem phyſicam, v. g. ſi bos cornupeta damnum inferat. Nequaquam, aſt dominus, in cujus poteſtate fuerat bovem cuſtodire, debet damnum reſarcire, qui enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati.

§ 64.

§ 64.

Auctor facti poteſt quis eſſe vel ſolus, vel habere ſocios, & ideo cauſæ facti vel ſunt *ſolitariæ*, quæ ſua tantum vi agunt, vel *ſociæ*, dum plures agenti vires ſuas accomodant. Sociæ vel ſunt *æquales*, quæ pari vi operantur, vel *inæquales*, quæ diſpari vi operantur. Inæquales vero vel ſunt *præcipuæ*, quæ plus ad factum conferunt, nimirum plura adhibendo media, & plura impedimenta removendo, vel ſunt *adminiſtræ*, quæ minus ad factum conferunt. Item cauſa facti alia eſt *proxima*, quæ factum ita antecedit, ut nulla alia ſit interjecta; alia *remota*, quæ factum ita non antecedit, ut nulla alia foret interjecta. V. g. ſi quis inſtigatus committat homicidium, homicida eſt proxima, inſtigans remota cauſa homicidii. Denique alia eſt *immediata*, quæ per ſe factum producit, alia *mediata*, quæ per alium factum producit. Differt autem cauſa proxima ab immediata, quod proxima ſine remota non poſſit intelligi, ſicut ſecundus abſque primo, poſſit vero immediata ſine mediata. *Cauſa mediata* facti alieni ſunt 1° qui ſermone, exemplo, conſilio alterum ad aliquod factum inducunt. 2° qui alterius voluntatem imperio, precibus, minis, laudatione, conſenſu ad agendum permovent. 3° qui actionis ſuſcipiendæ, vel ocultandæ locum, tempus, modum, & alia ſuppeditant media. 4° qui agere volentem, cum poſſunt, non impediunt ſive verbis,

ſive factis. Quia niſi hæc egiſſent, non fuiſſet poſita actio, ergo factum per alium producunt, tales autem ſunt cauſa mediata. Quodſi quis actionem jam patratam, ratihabeat, id eſt approbet, laudet, non manifeſtet, licet culpa non vacet, attamen ejus auctor dici non poteſt. Quia is ſua ratihabitione non efficit factum, jam enim poſitum eſt, effectus enim non præcedit cauſam, auctor autem eſt cauſa efficiens libera facti, ergo.

Regula quidem juris eſt: Ratihabitio retrotrahitur ad initium actus; ſed tantum in nonnullis caſibus per fictionem juris, & tantum in legibus humanis; in jure vero naturæ fictio juris locum non habet, leges enim naturales ſunt perſpicuæ, & immutabiles.

§ 65.

In genere actiones, quæ non ſunt liberæ, non poſſunt imputari. Quia objectum imputationis ſunt tantum actiones liberæ. In ſpecie non poſſunt imputari: *facta aliena*, ad quæ non concurrimus, *nudæ perpeſſiones*, ut ſi quis mihi liguam exſcinderet, *actiones ſimpliciter coactæ*, ut ſi quis manu mea vi apprehenſa thus ad aram idolorum ſuccenderet, & *caſus fortuiti*, hoc eſt eventus ex improviſo, aut ex inevitabili cauſarum nexu emergentes, v. g. incendium ex fulmine ortum. Quia carent ſpontaneitate, non enim per principium internum, ſed per externum producuntur, ergo non ſunt liberæ, ergo

im-

imputari non poſſunt. Deinde actiones *abſolute neceſſariæ*, v. g. cœcitas nulla noſtra culpa contracta; actiones *abſolute impoſſibiles*, & quas ponendi nulla adeſt occaſio. Quia carent contingentia, neceſſariæ enim tantum unico modo poſſunt determinari, impoſſibiles vero nullo, ad contingentiam autem requiritur, ut pluribus modis poſſit determinari, ſi carent contingentia, non ſunt liberæ, ergo imputari non poſſunt. Niſi quis ſua culpa contraxiſſet imbecillitatem, ob quam actionem ponere non poſſet, tunc omiſſio actionis juſte imputatur. Quia qui eſt libera cauſa cauſæ, eſt etiam libera cauſa cauſati, liberæ autem actiones imputantur. Denique non poſſunt imputari actiones in *dementia*, vel *infantia*, in *ignorantia invincibili*, in *plena ebrietate involuntaria*, quæ uſum rationis tollit, in *ſomnio* patratæ. Quia carent intelligentia, ergo. Niſi ebrietas foret voluntaria, aut actionibus in ſomnio patratis vigilantes cauſam dediſſemus. Quia tunc ſunt in ſua cauſa liberæ, ergo imputari poſſunt.

§ 66.

Imputatio habet gradus. Quia dependet a libertate, quæ jam major, jam minor eſt: Et quidem juxta hoc *principium*: Quo magis eſt libera aliqua actio, eo magis imputatur, hoc eſt, quo magis eſt libera aliqua actio bona, eo majus meretur præmium, qui illam ponit, & quo ma-

gis libera eſt actio mala, eo majori pœna digna. Quia effectus eſt in ratione cauſæ, jam imputationis effectus ſunt præmia, vel pœnæ, cauſa vero libertas, ergo. Hinc I. Actio *difficilis*, ſeu ad quam ponendam exquiſita opus eſt occaſione magis imputatur; quam *facilis*, ſeu ad quam ponendam commoda ſe præbet occaſio. Quia difficilis actio majori cum ſpontaneitate ponitur, vis enim interna agendi eo eſt major, quo plura inveſtigat media, & plura tollit impedimenta, ergo majori cum libertate, jam autem quo magis libera eſt aliqua actio, eo magis imputatur, ergo. Sic ceteris paribus magis punitur furtum qualificatum, quam ſimplex. II. Actio *ultronea* magis imputatur, quam *invita*. Quia ultronea ponitur majori cum ſpontaneitate, agens enim nulla habet in contrarium motiva, ſicuti in actione invita, ergo majori cum libertate, ergo. Sic peccat quidem inferior, qui juſſu, & metu ſuperioris innocentem jugulat, magis tamen peccat, ſi eundem ſponte tantum ſua trucidet. III. Actio *injuſta* magis imputatur, quam *iniqua*. Quia injuſta eſt difficilior, eſt enim jus cogendi ſuperandum, ſed difficilis magis imputatur, quam facilis. Sic turpius eſt non ſolvere debitum, quam non dare elemoſynam. E converſo autem actio *æqua* magis imputatur, quam *juſta*. Quia æqua actio requirit poſitivam actionem, juſta vero negativam, ergo illa difficilior eſt, ſed difficilis magis imputatur,

quam

quam facilis, ergo. Sic majus habet meritum, qui dat elemoſynam, quam qui debitum ſolvit. IV. Cauſæ *remotæ* magis imputatur actio, quam *proximæ*. Quia remota agit majori cum ſpontaneitate, ſe ipſam enim ad agendum determinat, proxima autem excitatur a remota; ſed etiam remota cauſa majori cum contingentia agit, quam proxima, illa enim absque omni difficultate poteſt actionem intermittere, quam ſi cauſa proxima non ponit, incurrit odium, ergo cauſa remota agit majori cum libertate, ergo. *Ceterum* hic etiam videndum eſt an reliqua omnia ſint paria. Quia ſi quis acerbo agitatus dolore, & minus ſibi conſcius ſuadeat homicidium & alter illud ſedato animo, & lubenter exequatur, licet ſit cauſa proxima, majorem tamen meretur imputationem, quia ejus actio eſt ultronea. Sed etiam a cauſa remota ſecerni debet cauſa occaſionalis, dum videlicet quis ex facto alterius occaſionem ſumit aliquid patrandi, quod cum eodem facto non eſt connexum, vel nexus prævideri non potuit; v. g. ſi quis hominem ſuſpectum domo abire jubeat, iſte vero ſe per feneſtram præcipitet; Sic etiam cauſæ *præcipuæ* magis imputatur actio, quam *adminiſtræ*. Quia cauſa præcipua plura adhibet media, & plura removet impedimenta, ergo majori agit cum ſpontaneitate, ergo majori cum libertate, ergo.

Equidem juris romani regula eſt: Ejus nullam eſſe culpam, cui parere neceſſe eſt. Sed

tunc tantum vera, ſi neceſſitas ſit phyſica, voluntas autem cogi phyſice non poteſt, ergo libera eſt, ergo imputationi ſubjecta.

§ 67.

V. Actio *pia* magis imputatur, quam *honeſta*, & *juſta*. Quia cum pia graviora motiva ſunt connexa, quam cum honeſta, & juſta, cum pia enim connexæ ſunt Dei perfectiones, cum honeſta, & juſta noſtri, & aliorum perfectio, ergo pro pia actione fortior eſt lex, ergo major imputatio, lex enim eſt fundamentum imputationis. Ita ab oppoſito ob actiones *impias* majorem meremur pœnam, quam propter inhoneſtas, vel injuſtas. Quia ponendo actiones impias fortiorem violamus legem, quam ponendo inhoneſtas, vel injuſtas. Sic etiam vitia Chriſtiano magis ſunt imputanda, quam infideli. Quia illa Chriſtianus non tantum ex ratione ſed etiam ex revelatione ſcit eſſe prohibita, ergo majorem habet legis intelligentiam, ergo majorem libertatem, ergo. Sed etiam Clericum magis dedecet ebrietas, quam laicum, & ignorantia turpior eſt in nobili, quam ruſtico. Quia illi in ſuo ſtatu commodiorem habent occaſionem clare intelligendi, quid agendum, vel omittendum ſit, ergo ſi eam negligant majori digni ſunt imputatione. VI. Actio *doloſa* magis imputatur, quam *culpoſa*. Quia doloſa ponitur majori cum intelligentia, quam culpoſa; Culpa enim eſt

de-

defectus vincibilis intellectus, dolus autem defectus vincibilis voluntatis, ergo doloſa actio ponitur majori cum libertate, ergo. Sic majorem meretur pœnam judex ille, qui ſcit legem, & tamen innocentem condemnat, quam qui eundem ex ignorantia legis condemnat. VII. Actio *deliberata* magis imputatur, quam *non deliberata*. Sic majorem meretur pœnam, qui in duello hominem occidit, quam qui in rixa ex improviſo exorta. Quia actio deliberata majori cum intelligentia ponitur, deliberare enim eſt rationes examinare, an, & quomodo ſit agendum, vel non agendum, ergo majori cum libertate, ergo.

§ 68.

VIII. Actio ex *intentione primaria* magis imputatur, quam ex intentione *ſecundaria*. Quia actio ex intentione primaria, majori cum intelligentia ponitur, ergo majori cum libertate, ergo; *Intentio* enim eſt volitio finis, *primaria* eſt volitio ejusmodi finis, ob quem unicum cauſa efficiens agit, *ſecundaria* eſt volitio finis, ob quem ſolum cauſa efficiens non ageret, ſi alium præterea finem ſibi non deſtinaſſet. V.g. ingreditur quis tabernam, ut rixas concitet, & etiam, ut bibat: Jam qui agit ex intentione primaria fortius vult ſuum finem, ergo magis illum cognoſcit, voluntas enim dependet ab actibus intellectus. Ita etiam actio ex intentione *directa* ma-

gis imputatur, quam ex *indirecta.* Quia in intentione directa major eſt intelligentia, ergo libertas, ergo imputatio: Intentio enim directa eſt, qua id intenditur, propter quod agens agit, v. g. jaculatur contra tectum, ut illud ſuccendat. Indirecta autem, quando agens id, per ſe non intendit, quod ex actione ſequitur, prævidere tamen potuit, illud etiam ſequi poſſe, v. g. jaculatur contra tectum, ut paſſeres trajiciat, interea ſuccendit tectum; Jam qui agit ex intentione directa, clariorem habet ſui facti, ejusque conſectariorum cognitionem, ergo majorem intelligentiam. Sed etiam *dolus ex propoſito* magis imputatur, quam *dolus ex re.* Quia in illo major eſt intelligentia, quam in hoc; Dolus enim ex propoſito eſt mala intentio factum præcedens, ut ſi quis ſciens, & volens falſam ſolvat monetam, dolus autem ex re eſt mala intentio factum conſequens; ut, ſi quis falſam monetam putans eſſe probam ſolvat, ſed deinde intelligens eſſe ſpuriam nolit commutare: Ubi autem major intelligentia, ibi major libertas, ubi major libertas major quoque imputatio, ergo.

§ 69.

IX. Actio majori cum *diligentia* poſita magis imputatur, quam cum minori diligentia. Quia in illa major eſt intelligentia. Diligentia enim eſt uſus idoneus mediorum, & facultatum noſtra-

ſtrarum ad bonum finem obtinendum, dum nimirum quis ex parte voluntatis adhibet media apta ad finem, & removet impedimenta, ex parte vero intellectus ad eundem finem applicat attentionem, rationem, & judicium, ergo major libertas, ergo. Sic etiam major *negligentia* magis imputatur, quam minor. Quia major negligentia eſt minor diligentia, ſed minor diligentia minus imputatur, ergo major negligentia magis, quam minor, negligentia enim opponitur diligentiæ, eſtque non uſus mediorum, & facultatum ad obtinendum finem, quæ quis adhibere obligatus erat. Ideo magis diligens ſtudioſus meliorem meretur claſſificationem, quam minus diligens, & pejorem magis negligens, quam minus negligens. Diligentiæ opponitur etiam *abuſus*, ſeu uſus mediorum, & facultatum legi contrarius. Sic abutitur ſua ſcientia advocatus, qui, ut injuſtam cauſam defendat, falſe interpretatur leges. Diligentiæ, & negligentiæ varii ſunt gradus: Quia varia ſunt media ad finem, & variæ facultates, quarum uſus ad diligentiam, non uſus ad negligentiam pertinet, & pro ratione horum graduum variare debet imputatio. Præcipue notanda eſt *negligentia culpoſa*, ſeu non uſus facultatum attentionis, reflexionis, veluti ſi quis ideo non proficiat in ſtudiis, quia aliis diſtractionibus eſt intentus, & *negligentia doloſa*, ſeu non uſus mediorum, veluti ſi quis ideo non ſtudeat, quia

 non

non vult ſe perficere: Semper enim negligentia doloſa magis imputatur, quam culpoſa. Quia actio doloſa magis imputatur, quam culpoſa.

§ 70.

X. Actio in *matura ætate*, quæ anno ætatis circiter decimo quarto incipit, quando jam firma, ac vegeta eſt corporis ſtructura, a qua & animi vires pendent, patrata magis imputatur, quam patrata in ætate immatura; Sic etiam actio poſita in mitiore temperamento, vel ſine gravi affectu magis imputatur, quam poſita in fervido temperamento, vel vehementi affectu. Quia ponuntur majori cum intelligentia, in ætate enim immatura adeſt judiciii imbecilitas, fervidum temperamentum, & affectus deliberandi facultatem extenuant, ergo. *Denique* actio *compoſita* magis imputatur, quam *ſimplex*. Quia actio compoſita eſt, quæ ex pluribus ſimplicibus liberis actionibus conſtat, ſimplex autem, quæ ex paucioribus actionibus liberis componitur, cum ergo ſingulæ actiones liberæ habeant ſuam libertatem, compoſita actio majorem habet quantitatem libertatis, quam ſimplex, ergo etiam majorem imputationem. Hac de cauſa homicidium conſumatum atrocius punitur, quam attentatum. Sed etiam fur domeſticus majorem meretur pœnam, quam extraneus, fur enim domeſticus & legem, quæ prohibet furtum, & legem, quæ fide-

lita-

litatem, & cuſtodiam rerum urget, violat. extraneus vero illam tantum, quæ furtum prohibet.

§ 71.

Ante conſcientiam, videndum, quid ſit *forum*. Hoc in ſenſu *phyſico* varias habet ſignificationes; apud juriſtas ſignificat locum, in quo actiones deciduntur: In ſenſu vero *morali*, eſt poteſtas actiones imputandi, eſtque aliud *divinum*, ſeu *forum poli*, hoc eſt poteſtas actiones imputandi Deo competens, aliud *humanum*, ſeu *forum fori*, id eſt poteſtas actiones imputandi homini competens. Inter hæc duo fora iſta eſt differentia: Quod in foro divino omnia, ſecretiſſimæ licet cogitationes imputentur, non item in foro humano. Quia homines non ſunt omniſcii, ſicut Deus. Hinc a foro humano ad divinum non valet conſequentia. Sæpe forum divinum pro foro conſcientiæ uſurpatur eo ſenſu, quod conſcientiam a Deo habeamús. *Conſcientia moralis* jam ſumitur pro facultate de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine judicandi, potiſſimum tamen pro judicio ipſo. Alia eſt *antecedens*, quæ de actionibus ponendis judicat, alia *conſequens*, quæ de actionibus jam poſitis judicat. Illa vel eſt *theoretica*, ſi actionis bonitatem, vel malitiam tantum perpendat, vel *practica* ſi ſimul ſe determinet ad ponendam, vel omittendam actionem: Hæc autem vel eſt *bona*, *& tranquilla*, ſi oriatur ex factis legi conſentaneis,

neis, talia enim ſpem, voluptatem, & animi quietem conciliant, vel eſt *mala*, & *mordens*, ſi oriatur ex factis legi diſſentaneis; talia enim angores, tædium, & mentis perturbationem procurant. Item conſcientia vel eſt *vera*, ſeu judicium verum de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine, quod tunc ſit, ſi vere judicemus actiones noſtras legi convenire, vel diſconvenire, vel *falſa*, ſeu judicium falſum de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine, quod tunc fit, ſi falſe judicemus actiones noſtras legi convenire, vel diſconvenire. Intuitu legis falſa conſcientia vel eſt *laxa*, dum quis veram legem pro lege non vult agnoſcere v. g. quaſi otium, mendacium non eſſet prohibitum, vel *ſcrupuloſa*, a ſcrupulo, ſeu brevi lapillo pedibus moleſto ita dicta, dum quis ibi ſibi legem fingit, ubi nulla eſt, v. g. Ac ſi nunquam liceret honeſta uti diſtractione. Neutra eſt bona, quia utraque erronea, & ideo ope demonſtrationis evellenda.

§ 72.

Præterea conſcientia alia eſt *certa*, ſeu certum judicium de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine, quod tunc eſt, ſi judicii, quod habemus actiones noſtras legi convenire, vel diſconvenire, rationem ſufficientem poſſimus aſſignare; alia *incerta*, ſeu incertum judicium de propriarum actionum honeſtate, vel

tur-

turpitudine, quod tunc eſt, dum judicii, quod habemus actiones noſtras legi convenire, vel diſconvenire, non poſſumus rationem ſufficientem aſſignare. Hæc incerta conſcientia vel eſt *probalis*, & probabilior, vel *improbabilis*, & improbabilior, vel *dubia*, prout dictum eſt de imputatione cum hac tamen differentia: Imputatio eſt judicium de alienis, conſcientia de propriis factis. Denique conſcientia alia eſt *dormiens*, quæ non judicat de propriarum actionum ſive honeſtate, ſive turpitudine, ſicut, qui dormit, de nulla re judicat: alia *expergeſacta*, quæ iterum incipit judicare de propriarum actionum honeſtate, & tupitudine, alia *obdurata* cauteriata, quæ nullum amplius morſum conſcientiæ ſentit ob inveteratam peccandi conſuetudinem, ſicut caro cauterio aduſta nihil ſentit. Jam videamus qualem liceat, vel non liceat ſequ conſcientiam. *Conſcientiam veram, & certam obligamur ſequi.* Quia hæc verum bonum, vel verum malum cum actione eſſe connexum promulgat, ergo leges naturales, quas ſequi obligamur.

Philoſophismus dicit dari peccata pure philoſophica, ſeu actiones, quæ quidem rationi adverſantur, non tamen Deo. Sed pernicioſa, & abſurda eſt hæc ſententia. Quia quæ actio adverſatur rationi, hoc ipſo adverſatur legibus naturalibus, per rationem enim leges naturales promulgantur. quæ autem actio adverſatur legibus na-

naturalibus, hoc ipſo adverſatur Deo, leges enim naturales ſun tdivinæ.

§ 73.

Conſcientia erronea eſt erroneum judicium de propriarum actionum honeſtate, vel tupitudine; hoc tripliciter fieri poteſt, *Primo*, ſi quis falſe putet aliquid eſſe præceptum, quod non eſt, ille debet actionem ponere. Quia ſecus vellet legem cognitam violare, quod peccatum eſt, quod non licet: turpitudo enim actionis non in motu phyſico, ſed morali reperitur. *Secundo*, ſi quis falſe putet aliquid eſſe prohitum, quod non eſt, ille debet actionem omittere. Quia ſecus vellet legem cognitam violare quod peccatum eſt. *Tertio*, ſi quis falſe putet aliquid eſſe præceptum, quod prohibitum eſt, vel id eſſe prohibitum, quod præceptum eſt, tunc, ſi eſt in errore invincibili, debet ſecundum dictamen ſuæ conſcientiæ agere. Quia ſecus vellet legem cognitam violare, quod non licet, velle enim peccare peccatum eſt; ſi vero ſit in errore vincibili, non poteſt ſuam conſcientiam ſequi, ſed debet errorem deponere. Quia ſecus peccaret, ad peccatum enim ſufficit vincibilis defectus intellectus.

Licet autem, qui invincibiter erroneam ſequitur conſcientiam, veram legem violet, phyſice tamen tantum, & non moraliter peccat, ejus enim violatio non provenit ab intelligen-

tia.

tia, ergo nec imputari poteſt. *Neque dicas* illum neceſſario peccare, qui in errore eſt vincibili. Si enim conſcientiam ſequatur, violat vincibiliter veram legem, quod peccatum eſt, ſi non ſequatur, vult cognitam legem transgredi, quod iterum peccatum eſt. Quia hæc neceſſitas peccandi tantum hypothetica eſt, in ejus enim arbitrio poſitum eſt errorem deponere; & ita ſe a neceſſitate peccandi liberare.

§ 74.

Conſcientia dubia eſt dubium judicium de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine, quod tunc eſt, dum æquales adſunt rationes pro ponenda, & omittenda actione. Talis conſcientiæ poſſunt tres caſus occurrere: *Primo* ſi quis dubitet, an actio aliqua ſit præcepta, vel permiſſa, in tali dubio poſitus debet actionem ponere. Quia ſecus exponit ſe periculo peccandi, fieri enim poteſt, ut illa actio ſit reipſa præcepta, exponere autem ſe periculo peccandi non licet, hoc enim eſt non tollere impedimenta cuſtodiendi legem, ergo eſt habere vincibilem defectum voluntatis, qui ad peccatum ſufficit, ergo. *Deinde* ponendo actionem eſt certus ſe contra nullam legem agere, non contra præcipientem, huic enim ſatisfit poſitione actionis, non contra permittentem, huic enim etiam ſatisfit poſitione actionis. *Secundo*, ſi quis dubitet, an actio aliqua ſit prohibita, vel per-

miſſa

miſſa, in tali dubio poſitus debet actionem omittere. Quia ſecus exponit ſe periculo peccandi quod non licet; Et omittendo actionem certus eſt ſe nec contra prohibentem, nec contra permittentem legem agere. *Tertio*, ſi quis dubitet an actio aliqua ſit præcepta, vel prohibita, in tali dubio poſitus debet actionem ſuſpendere usque dum tollat dubium ope demonſtrationis. Quia ſive illam poneret, ſive omitteret, exponeret ſe periculo peccandi, quod non licet.

Thomaſius conſcientiam dubiam putat figmentum, quod dubitatio non ſit judicium, ſed judicii ſuſpenſio. Aſt vana eſt hæc logomachia, certe is etiam judicat, qui etſi deciſionem non facit, pronuntiat tamen, ſe non eſſe certum.

§ 75.

Conſcientia probabilis eſt probabile judicium de propriarum actionum honeſtate, vel turpitudine, ſeu dum judicamus actionem noſtram legi eſſe magis conformem, quam difformem. Talem conſcientiam poſſumus ſequi tunc, dum omni adhibito ſtudio in majorem certitudinem inquiſivimus, & tamen majorem, quam ſit probabilis, non potuimus aquirere. Quia ſæpe vel noſtra, vel aliorum perfectio exigit aliquam actionem, de cujus moralitate omni licet adhibito ſtudio probabilem tantum habemus certitudinem, jam ſi tunc non liceret ſequi conſcientiam probabilem, darentur jura contradictoria: nempe

jus

jus ponendi illam actionem, quia ad illam ponendam nos vel noſtra, vel aliorum perfectio obligat, & jus non ponendi, quia conſcientiam probabilem ſequi non liceret, atqui hoc eſt abſurdum, ergo. *Conſcientia improbabilis* eſt improbabile judicium de propriarum actionum honeſtate, vel tupitudine, hoc eſt, dum judicamus actionem noſtram magis diſconvenire legi, quam convenire. Talem nunquam licet ſequi. Quia talem ſequendo vellemus potius legem violare, quam cuſtodire, jam autem nunquam licet velle legem violare, ergo.

Non habeas ſcrupulum, an non expediret actionem ſuſpendere, ſicut, dum habes conſcientiam dubiam. Quia in dubia æquales habes rationes, quod actio ſit licita, & illicita, in probabili autem ſcis potius eſſe licitam, quam illicitam: *Neque te angat*, quod ſequendo conſcientiam probabilem, reipſa veram legem poſſis violare. Quia violabis invincibiliter, utique omni adhibito ſtudio inquiſiviſti in majorem certitudinem, & non deprehendiſti.

§ 76.

Si vero conſcientia probabilis confligat cum probabiliore, non probabilem, ſed oportet ſequi probabiliorem, hoc eſt, ſi quis eandem actionem ex gravibus quidem motivis licitam, ſed ex gravioribus illicitam eſſe judicet, ille talem actionem non poteſt ponere, ſed omit-

tere debet. Quia conſcientiam probabilem tunc licet ſequi, quando omni adhibito ſtudio non potuimus majorem certitudinem habere, ſed ſi confligat cum probabiliore, hoc de probabili dici non poteſt, probabilior enim eſt magis certa, quam probabilis, ergo. Quia conſcientia probabilis in conflictu cum probabiliore evadit improbabilis, tunc enim a veritate magis recedit, quam ad veritatem accedat, ſed improbabilem conſcientiam nunquam ſequi licet, ergo. Quia illa libra ſpuria eſt, in qua pondus levius præponderat graviori, ergo etiam falſa conſcientia, quæ debiliora potius ſequitur, quam fortiora motiva.

Adverſarii dicunt: 1° Conſcientiam probabilem in concurſu cum probabiliore non eſſe falſam. *Equidem* abſolute, & evidenter falſa non eſt, eſt tamen comparative improbabilis. 2° Sequi conſcientiam probabiliorem adverſatur libertati morali. *Nequaquam*, ſed reſtringit licentiam, libertas enim moralis pertinet ad actiones æqualis bonitatis, jam autem pro conſcientia probabiliore fortiora ſunt motiva, quam pro probabili. 3° Lex ſequendi conſcientiam probabiliorem non eſt ſufficienter promulgata. *Negatur*. Quia ſufficienter promulgatum eſt, ut majorem intellectus noſtri veritatem amplectamur, ut improbabilem conſcientiam non ſequamur. 4° Regula juris romani eſt: In dubiis benigniora præferenda ſunt: *Sed etiam regula ejus*

dem

dem juris eſt: In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt; Deinde in noſtro caſu nullum eſt dubium, dum enim aliqua actio probabiliter licita eſt, ſed probabilius illicita, non ſunt utrinque æquales rationes. 5° Urgent hac ratione hominibus imponi onus intolerabile, ut ſemper in majorem certitudinem inquirant. *Hoc falſum eſt*, quia in noſtro conflictu jam adeſt major certitudo,, quodſi in legem inquirere onus judicatur, tunc poterit omnis ignorantia excuſari, quod profecto abſurdum eſt. 6° Conſcientiam tutiorem præ tuta ſequi non obligamur, ergo etiam. *Diſtinguo antecedens*, ſi tutior ſit tantum in genere talis, concedo, ſi ſimul ſit tutior in ſpecie, nego. Conſcientia tutior eſt, qua quis ſe magis remotum a periculis peccandi judicat, in genere talis, dum non reſpicitur ad determinatas alicujus perſonæ inclinationes, in ſpecie vero tutior, dum reflexio habetur dictarum qualitatum, jam poteſt aliquid eſſe in genere tutius, non tamen in ſpecie, ſic licet in genere tutius ſit non nubere viduas, D. Paulus tamen 1. ad Timoth. v. 14. vult juniores viduas nubere. Sed ſi aliquid ſit tutius etiam in ſpecie, id eligi debet, ſecus non haberemus efficacem voluntatem legem cuſtodiendi, atqui conſcientia probabilior eſt ſimul in ſpecie tutior a falſitate, & conſequenter a periculo peccandi, quam probabilis, ergo.

CAPUT VI.

De Juris naturalis partibus, atque uſu.

§ 77.

Inter alias juris ſignificationes eſt etiam, quod objective, & ſubjective ſumatur. *Jus objective ſumptum*, eſt complexus legum; *Jus ſubjective ſumptum* eſt ſcientia legum, quæ ſi cum agendo conjungatur, dicitur *Juris prudentia*, ſeu habitus leges demonſtrandi, iisque caſus obvenientes applicandi. Quia jurisprudentia venit a jure ſubjective ſumpto, & prudentia, jam autem jus ſubjective ſumptum eſt ſcientia legum, id eſt habitus leges demonſtrandi, prudentia vero in genere eſt facultas bene, ſapienterque excogitata recte exequendi, adeoque prudentia legum eſt facultas leges recte exequendi, quæ legum executio recte fieri non poteſt, niſi iisdem caſus obvenientes applicentur, ut ſic caſuum cum legibus convenientia, vel diſconvenientia appareat, ergo. Hinc in jurispudentia non leges caſibus, ſed caſus obvenientes legibus debent applicari. Quia leges ſunt norma actionum, non vero actiones norma legum. Jurisprudentia duas in ſe complectitur partes: *Theo-*

Theoriam, ſeu habitum leges demonſtrandi, & *praxim*, id eſt habitum legibus caſus obvenientes applicandi. Jurisprudentia differt a *jurisperitia*, ſeu illa notitia legum, quæ ab experientia auritur; quia hæc non ſcit omnes caſus legibus applicare, experientia enim finita eſt, & caſus infiniti, & ſi circumſtantiæ novæ mutent caſum, non ſcit eum demonſtrare, jurisprudentia autem ſcit omnes caſus legibus applicare, & ipſas leges demonſtrare, differt etiam a *jurisſcientia*, ſeu habitu leges demonſtrandi. Quia jurisprudentia non tantum eſt habitus leges demonſtrandi, ſed etiam habitus legibus caſus applicandi. *Legulejus* eſt, qui verba legis ſcit, ſed non ſenſum, nec rationem. *Rabula* vero, qui ſcientia juris doloſe abutitur.

§ 78.

Jurisprudentia dividitur in *divinam*, & *humanam*. Quia jurisprudentia eſt habitus leges demonſtrandi &c, jam autem leges vel ſunt divinæ, vel humanæ, ergo etiam jurisprudentia. Divina autem jurisprudentia vel eſt *naturalis*, vel *poſitiva*. Quia jurisprudentia divina eſt habitus leges divinas demonſtrandi &c., jam autem leges divinæ vel ſunt naturales, vel poſitivæ, ergo. Humana denique jurisprudentia vario modo ſubdividitur, in *civilem*, *criminalem*, *militarem*, &c. Quia jurisprudentia humana eſt habitus leges humanas demonſtrandi, &c. jam

autem leges humanæ variæ ſunt, ergo. Hinc clarum eſt romanos non male definiviſſe jurisprudentiam in genere: Quod ſit divinarum, & humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia. Quia jurisprudentia in genere continet ſcientiam omnium legum tam divinarum, quam humanarum.

§ 79.

In jurisprudentia naturali univerſali debent omnia naturalia officia erga Deum, ſe ipſum, & alios tam perfecta, quam imperfecta pertractari. Quia jurisprudentia naturalis eſt habitus leges naturales demonſtrandi, & illis caſus obvenientes applicandi, atqui ad leges naturales pertinent omnia naturalia officia erga Deum, ſe ipſum, & alios, ergo. Quia, qui ſola officia erga alios perfecta putant ad jus naturæ pertinere, illi & a communi uſu loquendi recedunt, & ſtudium hocce ſuſpectum, exoſumque faciunt, tunc enim blasphemia, avaritia, ingratitudo &c. utpote per quæ ſcelera officia erga alios perfecta non violantur, jure naturæ licita eſſent, quod abſurdum eſt, ergo. *Imo ſi in jure naturæ debent officia erga alios perfecta pertractari, hoc ipſo debent etiam officia erga Deum.* Quia omnia hominis officia, adeoque etiam perfecta ultimo ad manifeſtandas perfectiones divinas referri debent, iſte enim eſt finis ultimus omnium actionum hominis, in quo officia erga Deum conſiſtunt.

ſtunt. Deinde officia perfecta ſæpe debent juramento firmari, quod ſine cognitione officiorum erga Deum non intelligitur; Denique officia perfecta debent ſufficienti ſanctione muniri, hæc autem ex attributis divinis cognoſcitur, ergo. *Præterea ſi in jure naturæ debent officia perfecta pertractari, hoc ipſo debent etiam officia erga ſe.* Quia officia erga nos ab officiis erga alios non diſcrepant, ita enim obligamur alios perficere, ſicut nosmet ipſos, & ſæpe alios præ nobis perficere non obligamur. *Denique ſi in jure naturæ debent officia perfecta pertractari, hoc ipſo debent etiam imperfecta.* Quia ſæpe ex imperfectis fiunt perfecta; Et contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt. *Demum:* ſæpe officia imperfecta, officia erga ſe, officia erga Deum confligunt cum officiis perfectis, ergo omnia debent pertractari, ſecus non faciemus debitam exceptionem.

Dicunt adverſarii: In jure debet tantum juſtitia pertractari, ſed juſtitia continet tantum officia perfecta, ergo, *Reſpondeo*, ſi juſtitiam univerſalem intelligant, cedo manum, ſi vero ſolam in ſenſu ſtricto, maneant ſibi partiales juriſtæ. *Sed arbitrarium eſt facere diſciplinarum diviſionem.* Ita eſt, in arbitrio cujuslibet eſt poſitum, hanc, vel illam juris partem adornare, non eſt tamen arbitrarium univerſum jus profiteri, & tamen præcipua capita præterire. *Sed Hugo Grotius artis hujus conditor officia tantum perfecta explanavit.* Quia non univerſum jus na-

turæ, ſed tantum jus gentium expoſuit, & ipſe in ſuis prolegomenis declaravit, ad jus naturæ alios quoque virtutum actus pertinere. *Sed hac ratione jus naturæ cum aliis diſciplinis moralibus confundetur.* Contrarium oſtenderunt: Puffendorſius, Heinneccius, Wolſius &c. Vide inferius § 81.

§ 80.

Antequam jus naturæ in ſuas partes dividamus, habenda eſt notio ſocietatis. *Societas in genere*, eſt ſtatus, vi cujus plures ad communem quemdam finem unitis viribus obtinendum tendere obligantur: Itaque ad ſocietatem requiritur 1° ut ſint plures. 2° ut habeant finem aliquem communem, 3° ut adſit unio virium ad eundem finem, & 4° ut ſit obligatio tendendi ad finem. Hinc ruſticus, & boves licet pro ſcopo habeant arationem, non ſunt tamen in ſocietate. Quia bruta nec finis, nec obligationis moralis ſunt capacia. Societas vel eſt *abſoluta*, quæ ex natura humana abſque ullo facto intelligitur, vel *hypothetica*, quæ nonniſi ex accedente quodam conſociationis facto intelligitur: Illa eſt *univerſalis*, ſeu ad omnes homines pertinet. Quia intelligitur ex natura humana abſolute conſiderata, quæ in omnibus hominibus eadem eſt: Iſta vero eſt *particularis*, ſeu non pertinet ad omnes homines. Quia hæc intelligitur ex quopiam facto, quod non omnes homines

nes ponunt. *Exiſtit ſocietas abſoluta.* Quia omnes homines ex natura humana abſolute conſiderata obligantur ad eundem finem tendere, nimirum ad manifeſtationem perfectionum divinarum. *Exiſtunt etiam ſocietates hypotheticæ.* Quia varii ſunt fines, quorum gratia homines conjunguntur: Tales minores præcipuæ ſunt: *Conjugalis*, *parentalis*, *herilis*, *domeſtica*, & *anarchica*, maxima autem *civitas*, ſeu cætus hominum ſui juris ſub imperio communis ſecuritatis cauſa colligatus. Hinc jus naturæ tres habet partes. Jus naturæ Ethicum, Oeconomicum, & Politicum. *Jus naturæ Ethicum*, eſt complexus legum naturalium, quæ reſpiciunt hominem ſolitarium, aut in ſocietate abſoluta viventem; ideo ſic dicitur, quia Ariſtoteles libros, in quibus præcipua hominis ſolitarii officia tractavit, Ethicorum inſcripſit. *Jus naturæ œconomicum*, eſt complexus legum naturalium, quæ pertinent ad hominem in ſocietate hypothetica minore conſtitutum; ideo vocatur ita, quia Ariſtoteles libros, in quibus hujusmodi officia expoſuit, Oeconomicorum appellavit. *Jus naturæ politicum* eſt complexus legum naturalium, quas obſervare debet homo in ſocietate hypothetica maxima, id eſt in civitate vivens: Propterea ita compellatur, quia Ariſtoteles libros, in quibus tales leges explanabat, libros politicos vocavit. Ratio hujus diviſionis eſt hæc. Quia jus naturæ complectitur

tantum leges naturales, quæ vel ad hominem ſolitarium, vel in aliqua ſocietate minore, vel in maxima conſtitutum ſpectant.

Jus quidem politicum aliud eſt publicum, aliud privatum, at propterea nova parte augere jurisprudentiam naturalem ſuperfluum eſt. Quia utrumque hoc jus ex eodem principio, fine nimirum civitatis intelligitur: Deinde partem partis pro generali parte aſſignare repugnat regulis diviſionis. *Datur etiam jus naturale eccleſiaſticum*, nam ex notione eccleſiæ, quæ eſt ſocietas ad Deum eodem malo colendum inita, cognoſcuntur leges naturales eccleſiaſticæ. Sed hoc jus eſt pars juris ethici, quilibet enim homo ex natura ſua obligatur Deum colere: Quodſi autem determinatus, ſeu per Deum ſeu per homines modus Deum colendi proponatur, non erit amplius naturale, ſed poſitivum jus eccleſiaſticum. *Datur denique etiam jus naturale gentium.* Verum hoc eſt pars juris naturæ politici, continetque officia naturalia gentium inter ſe.

§ 81.

Ne autem propterea jurisprudentiam naturalem cum aliis diſciplinis moralibus confudiſſe videamur, quod omnia hominis naturalia officia in ea pertractanda eſſe contendamus, oſtendimus earum diſcrimen. Jus naturæ differt a *theologia naturali*, quia hæc demonſtrat Dei exiſtentiam, ejusque attributa, & ideo ſcientia theo-

retica

retica eſt, jus naturæ autem dum exponit officia erga Deum, ſcientia practica eſt; Neque vero pertinet ad theologiam naturalem explanare officia erga Deum, ſicut non pertinent ad Pſychologiam officia erga animam, aut ad Phyſicam officia erga corpora. Jus naturæ differt ab *Ethica*: Si enim hæc ſumatur in ſenſu lato, complectitur univerſam morum doctrinam, videlicet omnes leges naturales, & media illas obſervandi, & ſic jurisprudentia naturalis eſt ejus pars. Si vero ethica ſumatur in ſenſu ſtrictiore, exponit tantum leges naturales hominis ſolitarii, jurisprudentia autem naturalis, & leges hominis ſolitarii, & hominis tam in minore, quam maxima ſocietate conſtituti, ſic ergo jurisprudentia eſt totum, ejus vero pars ethica; ſi denique ethica ſumatur in ſenſu ſtrictiſſimo, ejus eſt tantum media ſuggerere, per quæ facilius poſſit legibus naturalibus ſatisfieri, jus vero naturæ ethicum debet leges ipſas tradere. Neque mirum hoc videri debet, nam licet lex ſe conſervandi in jure naturæ diſcatur, remedia tamen valetudinem conſervandi ad medicinam ſpectant. Jus naturæ differt ab *œconomica*. Si enim hæc ſumatur in ſenſu lato complectitur leges naturales œconomicas, & media iisdem convenienter vivendi, jurisprudentia autem non tantum œconomicas, ſed etiam politicas, & ethicas. Si vero ſumatur in ſenſu ſtrictiore, exponit tantum media legibus œconomicis pa-

rendi

rendi, jurisprudentia autem ipſas leges œconomicas. Si denique ſumatur in ſenſu ſtrictiſſimo, docet, quomodo res externæ aquiri, & rite adminiſtrari debeant, jurisprudentia autem; quid in talium rerum comparatione ſit juſtum, & licitum. Jus naturæ differt a *Politica*, ſi enim hæc ſumatur in ſenſu lato, explanat leges naturales civitatum, & media illas obſervandi, jus naturæ autem etiam leges minorum ſocietatum, & hominis ſolitarii; ſi vero ſumatur in ſenſu ſtrictiore, prout nimirum & a prioribus ſcientiis, & ab ipſo jure naturæ ſeparata eſt, exponit ſola media leges civitatum obſervandi, jus autem naturæ politicum ipſas leges civiles. Si denique ſumatur in ſenſu ſtrictiſſimo, expendit, quid certo civitatis ſtatui utile ſit, jus autem naturæ, quid ſit juſtum, ſic Jurisconſulti expendunt an v. g. liceat bellare, Politici vero, an ſit proficuum. Denique jus naturæ differt a *jure divino poſitivo*. Quia jus divinum poſitivum continet leges arbitrarias, jus naturæ immutabiles, illæ promulgatæ ſunt per revelationem, hæ per ſolam rationem.

§ 82.

Ad quæſtionem, an detur jus divinum poſitivum univerſale, reſpondet Hugo Grotius affirmative, & quidem: Primum ſtatim poſt hominem conditum, & hoc vocat *Adamiticum*. Secundum in reparatione humani generis poſt dilu-

diluvium, & vocat *Noachicum.* Tertium in ſublimione reparatione per Chriſtum, & hoc vocat *Evangelicum.* Verum neque Adamiticum, neque Noachicum jus, eſt jus divinum poſitivum univerſale. Quia jus divinum poſitivum univerſale debet tales leges continere, quæ 1° ſola ratione non intelliguntur, ſecus non erit poſitivum, ſed naturale jus, 2° ut omnes hominos obligent, ſecus non erit univerſale; 3° ut ſint in veteri teſtamento omnibus promulgatæ, & in novo repetitæ, ſecus omnes homines non obligabunt, lex enim non promulgata non obligat, jam autem nulla talis lex aſſignari poteſt, & ipſæ leges veteris teſtamenti tantum populo hebraico ſunt promulgatæ, quemadmodum id ex Pſalmo 167. colligere licet: Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Adferuntur quidem varia exempla ex veteri teſtamento: 1° *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum.* Hæc lex tantum judæis fuit promulgata, & in novo teſtamento in diem dominicum mutata. 2° *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas* Hæc tantum primis parentibus fuit promulgata in paradiſo, cujus transgreſſionis nos tantum infortunium ſentimus, non pœnam. 3° *Maſculum, & fæminam creavit eos*; unde colligunt vetitam eſſe polygynæciam. Hæc prohibitio eſt tantum novi teſtamenti, ſecus Patriarchæ non potuiſſent habere plures uxores. 4° *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, &*

adhærebit uxori ſuæ, unde inferunt prohibita eſſe divortia. Hæc lex eſt novi teſtamenti, ſecus hebræi non dediſſent libellum repudii ſuis uxoribus. 5° *Et ipſe dominabitur tui*, unde inferunt dari marito imperium in uxorem: Hoc dictum tantum eſt Evæ, ſicut Adamo: In ſudore vultus tui comedes panem tuum; quod tamen ad omnes homines non porrigitur. 6° *Carnem cum ſanguine non comedetis.* Hæc lex in ſenſu litterali accipi non poteſt, ſecus nullum animal potuiſſet comedi, in ſenſu autem figurato denotat idololatriam, ſanguis enim animalium comedabatur in ſignum adorationis idolorum, jam autem idololatriam eſſe prohibitam eſt lex naturalis. 7° *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Hæc lex tantum hebræis fuit dictata, neque ad illos omnes extendebatur, nam Davidis ſanguis non eſt effuſus. 8° *Omnis homo ad proximam ſui ſanguinis non accedet*, unde concludunt prohibita eſſe matrimonia inter conſanguineos. Verum hæc lex non fuit univerſalis, ſecus Adami filii ſuas ſorores ducere non potuiſſent.

§ 83.

Solum jus evangelicum eſt jus divinum poſitivum univerſale. Quia 1° leges de ſacramentis, & myſteriis ſola ratione non intelliguntur, 2° omnes homines obligant juxta illud Marci 16. Euntes in mundum univerſum prædi-

dicate evangelium omni creaturæ; 3° Chriſtus ut legislator promulgatus eſt in veteri teſtamento: Iſaiæ cap. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem: In novo autem tales leges teſtante Apoſtolo 1. Cor. 11. Cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, ergo jus evangelicum habet omnes characteres juris divini poſitivi univerſalis, ergo. Hinc tamen minime ſequitur, latis legibus evangelicis, & conſtitutis civitatibus ſuperfluam eſſe juris naturæ diſciplinam. Quia nec leges evangelii, nec leges civitatum ſuſtulerunt naturam humanam, ex qua leges naturales immutabiles deducuntur. Deinde alter eſt ſcopus evangelii, nempe ſalus æterna, alter legum civilium videlicet felicitas civium temporalis, alter denique legum naturalium, nimirum adeptio perfectionis, & evitatio imperfectionis, & quidem ſive homo ſit ſolitarius, ſive in minore aliqua ſocietate, ſive in maxima vivat. Denique nec leges evangelii, nec poſitivæ civitatum omnes particulares caſus ſufficienter explicant, jus autem naturæ, & ſubjective, & objective eſt univerſale, ergo.

Sed dices: Leges naturales ſunt omnibus notæ: Vulgariter, ſed non ſcientifice, ut ſimul ſciant rationes illarum reddere: Utique natura ab arte longe perfectior fit; Sic licet homines naturaliter ſciant cantare, numerare, ratiocinari, propterea tamen non eſt inanis eorum ope-

opera, qui muſicam, arithmeticam, & logicam ex arte diſcunt, *Sed per culturam rationis negligitur doctrina revelata.* Imo ſic maximum revelationis medium excolitur, ratio enim eſt illa facultas, per quam veritatem rerum, ergo etiam veritatem revelationis cognoſcere licet. *Sed nonnulli juris naturalis interpretes graviſſime errarunt.* Hoc eſt vitium hominum non recte utentium ratione, non vero diſciplinæ: Etiam ſacrarum litterarum interpretes quidam graviſſime errarunt, propterea tamen ſua manet, manebitque ſacræ ſcripturæ auctoritas.

§ 84.

Utilitas, & uſus jurisprudentiæ naturalis alter eſt *ſubjectivus*, qui reſpicit certos homines, uti ſunt Imperantes civiles, & Gentes, alter *objectivus*, qui ad varias ſcientias pertinet. *Imperantibus civilibus* præſtat uſum. Quia hi vivunt in ſtatu naturali, nulli enim hominum ſunt ſubjecti, varias tamen ponunt actiones partim intuitu ſui, partim intuitu ſubditorum, illæ debent ex jure ſimpliciter naturali decidi, iſtæ autem ex jure naturali politico, ergo.

Neque dicas poſſe negotia Imperantium determinari, *vel ex legibus civilibus poſitivis.* Quia hæ non Imperantium, ſed ſubditorum actiones moderantur. *Vel ex legibus fundamentalibus.* Quia hæ omnes caſus non complectuntur. *Vel ex evangelio.* Quia leges evangelicæ non deſcendunt

dunt ad omnes ſpecies ſingulares, finis earum eſt ſalus æterna, neque agnoſcuntur ab omnibus.

§ 85.

Gentibus præſtat uſum jurisprudentia naturalis. Quia gentes vivunt inter ſe in ſtatu naturali, ſæpe tamen invicem debent agere, & aliquando incidunt in controverſiam, ergo negotia ſua debent ex aliquo jure communi, quod omnes agnoſcunt, decidere, tale autem eſt ſolum jus naturæ, ergo.

At inquies negotia gentium poſſunt determinari ex jure civili romano: Nequaquam, iſtud enim aliæ gentes non agnoſcunt. *Aut ex jure gentium poſitivo*: Etiam non; tale enim univerſale non datur, quia non poteſt probari cum omnibus gentibus fuiſſe celebrata pacta: particulare autem omnes caſus non continet, & tantum illas gentes obligat, quæ ſibi illud conſtituerunt.

§ 86.

Objectivus porro uſus jurisprudentiæ naturalis eſt I in *Theologia dogmatica*. Quia hæc docet claram notionem vitæ futuræ, docet bonis parata eſſe præmia æterna, & malis pœnas æternas, docet, quomodo peccator cum offenſo Deo reconciliari poſſit, ſed has veritates facicilius capit is, qui jam ex ſtudio juris naturæ aliquam licet obſcuram illarum habet ideam.

Deinde jus naturæ viam parat ad recipiendam doctrinam evangelicam, oſtendit enim rectæ rationis cum revelatione conſenſum: nempe evangelium docet: Math. 22. Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. Jus autem naturæ docet officia erga Deum, ſe ipſum, & alios. Denique ſi inter leges naturales, & evangelicas opinata quædam appareat repugnantia, tunc ad rationem recurrendum eſt, ut veritatem detegamus, Deus enim & rationis, & revelationis eſt auctor, qui ſibi contradicere non poteſt: Hoc facere neglexit Origenes, qui locum Matthæi 19. Sunt eunuchi, qui ſe ipſos propter regnum cœlorum caſtraverunt, perperam interpretatus ſe ipſum eviravit. Euſeb. Hiſt. Eccl. L. 6. c. 8. II. In *Theologia morali*. Hæc enim verſatur in dirigendis aliorum conſcientiis, oſtendit, quæ ſit actio turpis, quæ honeſta, judicat de contractibus, juramentis &c., facit imputationem, ſed hæc ex jure univerſali, quale jus naturæ eſt, decidi debent, nullus enim homo facta ſingularia vel memoria diſcere, vel intelligentia prævidere poteſt, ergo.

Dicet aliquis, caſus conſcientiæ poſſunt explicari ex humana auctoritate. Non, quia humana auctoritas eſt principium fallibile, deinde ſæpe authores ita diſſident, ut tot ſint pro affirmativa, quod pro negativa ſententia. *Saltem ex auctoritate divina*: Hæc quidem ſufficit ad

res

reſ deciſas explicandas, ſed profecto ubi nihil eſt deciſum, vel contradictio quædam apparet, ibi recta ratio conſulenda eſt. *Sed genus humanum lue originali ſanciatum ſola ratione ſanari non poteſt.* Neque nos hoc defendimus, ſed a lege rationis tranſeundum eſt ad legem revelatam, cujus neceſſitatem ipſa ratio agnoſcit, dum ex illa ſola claram notionem vitæ futuræ, atque præmiorum, & pœnarum, quæ in hac vita deficiunt, haurire poteſt.

§ 87.

Pro demonſtrandis legibus naturalibus poſſunt ex ſacris litteris deſumi argumenta, non quidem primaria, ſed ſecundaria. Non *primaria*: Quia quælibet ſcientia debet habere domeſticum principium. Quia leges naturales erant ante ſacram ſcripturam. Quia ſecus non poſſemus leges naturales illis demonſtrare, qui non admittunt ſacram ſcripturam: Hinc male quis argumentaretur: Hoc in ſacris litteris eſt præceptum, vel prohibitum, ergo etiam in lege naturali. Quia aliqua, uti ſacramenta ſunt ſupra rationem; aliqua vero ſunt prohibita, quæ in lege naturali permiſſa erant, v. g. polygynæcia, Chriſtus enim nos ad majorem ducere voluit perfectionem, quam potuiſſemus ſola ratione obtinere. Poſſunt tamen deſumi *ſecundaria*. Quia idem Deus eſt auctor & revelationis, & rationis, qui ſibi ipſi contradicere, &

 immu-

immutabiles leges naturales tollere non poteſt. Atque hæc argumenta ita formari poſſunt: 1° Quod in ſacris litteris præcipitur, id jure naturæ non prohibetur. 2° Quod in ſacris litteris prohibetur, jure naturæ non præcipitur. 3° Quod in ſacris litteris plene permittitur, id etiam jure naturæ licitum eſt. Quia ſecus Deus ſibi ipſi contradiceret. Eſt autem in ſacris litteris permiſſio alia *plena*, quæ pro utroque foro impunitatem tribuit, alia *minus plena* quæ tantum pro foro humano tribuit impunitatem, ſic in veteri teſtamento ſi propinguus ſui conſanguinei homicidam extra aſyli loca interfecit, immunis fuit a pœna civili. Ut vero permiſſio ſit plena, requiritur 1° ut id fecerint viri ſancti, 2° ut propterea non ſint a Deo reprehenſi: 3° ut certum agendi modum ipſe Deus præſcripſerit. V. g. Divortium Exod. 21.

§ 88.

III. Jurisprudentia naturalis præſtat uſum in *jure civili romano*. Quia hoc magnam partem collectum eſt ex legibus naturalibus, multas continet leges arbitrarias, ſunt etiam aliquæ rationi adverſantes, uti liberis ex inceſtu procreatis alimenta denegare: jam autem leges naturales explicari, arbitrariæ a neceſſariis diſcerni, rationi adverſantes corrigi nonniſi ex jure naturæ poſſunt, ergo. IV. In *jure criminali*

nali. Quia hujus objectum ſunt delicta, eorumque pœnæ, ergo debet ſciri an delictum ſit patratum, vel non, ſi patratum eſt, quali pœna dignum, an poſſit infamia, mutilatio, tortura dictari, vel gratia concedi, jam autem hæc docet jus naturæ in materia imputationis, & potiſſimum jus naturæ politicum de jure puniendi, ergo. V. In *jure eccleſiaſtico poſitivo.* Quia hoc compoſitum eſt partim ex divinis legibus, partim ex humanis, ad divinas pertinent naturales, & revelatæ, ad humanas potiſſimum leges civiles romanæ, jam autem jus naturæ præſtat uſum & in revelatis legibus, & in jure civili romano, ergo etiam. Præcipuus autem uſus eſt iſte, quod doceat limites inter poteſtatem eccleſiaſticam, & civilem: Nimirum poteſtas eccleſiaſtica ſe extendit tantum ad res ſpirituales, civilis tantum ad civiles, finis enim eccleſiæ eſt ſpiritualis, ſalus æterna; finis vero civitatis eſt temporalis, ſecuritas civitatis, jam autem talis eſt poteſtas, qualis finis, ob quem poteſtas data eſt: Hinc, quia Imperatores orientis Arianos, Monothelitas &c. fovebant, Pontifices autem romani Reges dethronizabant, tot, quæ in hiſtoria leguntur, publicæ calamitates pullularunt.

§ 89.

VI. In *jure feudali, & cambiali.* Quia jura hæc ſunt particularia, utpote ab homini-

bus, qui omnes caſus prævidere non poſſunt, conſcripta, ergo non ſufficiunt omnibus ſpeciebus definiendis, ergo ſuppleri debent ex jure univerſali, quale eſt jus naturæ, ergo. Deinde hæc jura fundantur in contractibus, quorum naturam jus naturæ tradit, ergo. VII. In *dijudicandis moribus populorum.* V. g. An conſuetudo duellandi, bona naufragorum occupandi bona ſit, vel mala. Quia nulla conſuetudo ob vetuſtatem bona eſt, ſed ſi cum finibus rerum a Deo creatarum conſentiat, ſecus eſt corruptela, jam autem hoc docet jus naturæ, ergo. VIII. In *ferendis legibus.* Quia nulla lex ferri poteſt contraria legibus naturalibus, ſæpe etiam opus eſt leges naturales nova ſanctione munire, jam autem utrumque exactam juris naturæ ſcientiam exigit, ergo. IX. Denique in *jure hungarico:* Quia jus hoc particulare eſt, ergo ex jure univerſali, jure naturæ caſus indeciſi explicandi ſunt: Ita ob æquitatem naturalem enatæ ſunt *deciſiones*, ſic dictæ *curiales.* Quia nulla lex, nulla conſuetudo, nullum privilegium poteſt adverſari juri naturæ. Quia varii occurrunt contractus, quorum obligationes, & jura explanat jurisprudentia naturalis. Atque ex his omnibus perſpicuum eſt, ineſſe quidem in quavis jurisprudentiæ parte ſuam dignitatem, uſumque, nulla tamen cum hac noſtra, ſi quis legum fontes, & capita

vide-

viderit, vel principiorum amplitudine; vel utilitatis ubertate eſſe comparandam.

§ 90.

Methodus mathematica, ſeu philoſophica tradendi ſcientias eſt, quæ primo accuratas adhibet vocum definitiones, deinde certa præſtruit principia, ex quibus legitimo nexu deducit conclusiones, denique ita collocat propoſitiones, ut illæ præmittantur, quæ reliquis demonſtrandis inſervire debent. Hæc methodus competit juris naturalis diſciplinæ. Quia competit omni veri nominis ſcientiæ, ſcientia enim eſt habitus demonſtrandi, demonſtrare autem eſt, ex certis principiis legitimo nexu deducere concluſiones, in quo methodus mathematica ſita eſt, jam autem jurisprudentia naturalis eſt veri nominis ſcientia, certa enim habet principia, ex quibus legitimo nexu deducit leges naturales, ergo.

CAPUT VII.

De ortu, & progreſſu jurisprudentiæ naturalis.

§ 91.

Hiſtoria juris naturalis eſt ſcientia ortus, & progreſſus juris naturalis, variarúmque illud

tradendi viciſſitudinum. Jus naturæ ortum eſt cum primo homine Adamo. Quia tunc orta eſt, & exiſtere cæpit natura humana, utpote principium exiſtendi, legum naturalium proximum. Hiſtoriæ hujus triplex eſt periodus: *Prima*: Inde ab Adamo usque ad Pythagoram philoſophum: quo tempore inter varias gentes tradebatur jus naturæ, ſed ſine certo ordine. *Secunda*: A Pythagora usque ad Hugonem Grotium; hac ætate jus naturæ tractabatur methodo philoſophica, ſed conjunctim cum ethica. *Tertia*: Ab Hugone Grotio usque ad noſtram ætatem: Hæc epocha inde memorabilis eſt, quod jurisprudentia naturalis non tantum ſit ab ethica, ſed etiam ab aliis philoſophiæ partibus ſeparata, atque in peculiarem redacta diſciplinam, mirificeque exculta. Vide plura in Caroli Antonii de Martini poſit. cap. 7.

JUS

JUS NATURÆ PRACTICUM.

ET QUIDEM

JUS NATURÆ ETHICUM.

CAPUT I.

De officiis erga Deum, ſeu pietate naturali.

§ 92.

Jus naturæ ethicum complectitur naturalia officia erga Deum, ſe ipſum, & etiam erga alios talia, quæ nimirum ex facto, quo nulla inſtituitur ſocietas hypothetica, naſcuntur. Quia jus naturæ ethicum eſt complexus legum naturalium, quæ reſpiciunt hominem ſolitarium, aut in ſocietate abſoluta viventem. Officia erga Deum ad duo capita poſſunt revocari: *Primo*, ut veram de Deo, ejusque perfectionibus habeamus cognitionem; *Deinde*, ut actionum noſtrarum motiva deſumamus ex cognitis perfectionibus divinis, ſeu, ut actiones noſtras Dei perfectionibus conformemus. Quia officia erga Deum in manifeſtatione perfectionum divinarum ſita ſunt, am autem is tantum manifeſtat perfectiones di-

 vinas,

vinas, qui eas vere cognoſcit, & illis ſuas actiones conformat, ergo. *Ut veram Dei, ejusque perfectionum cognitionem habeamus*, debemus ſcire: Deum exiſtere, eſſe unum, & omnibus poſſibilibus perfectionibus in ſummo gradu præditum, uti hoc jam in Theologia naturali demonſtratum eſt. Huic adverſatur *Atheismus*, dum Deus eſſe negatur; *Polytheismus*, dum plures finguntur Dii; *Idolomania*, dum rebus creatis divinitas tribuitur, *Epicureismus*, dum nulla admittitur Dei providentia. Sed illi etiam non habent veram Dei perfectionum cognitionem, qui propterea: quod Deus ſua providentia curet res humanas, otio torpeſcunt; Quia iſti non agnoſcunt in Deo ſapientiam, ſed putant fruſtra, & ſine ullo fine datas eſſe hominibus tot eximias facultates. Denique neque illi, qui a Dei bonitate alienum eſſe putant pœnas in refractarios decernere. Quia iſti non agnoſcunt in Deo juſtitiam, & putant Deum ſortem bonorum, & malorum parem feciſſe.

Dicunt Epicurei: Mala hujus mundi non poſſe cum Dei providentia conciliari. Negamus, mala enim ſunt triplicia: Metaphyſica, moralia, & phyſica. Methaphyſicum eſt limitatio rerum creatarum, hoc non repugnat Dei providentiæ, eſſentias enim rerum immutare non poteſt; Morale eſt abuſus libertatis, ſed nec hoc repugnat Dei providentiæ, non enim poterat niſi liberum hominem creare; Phyſicum, uti dolores, morbi

bi &c. ſunt effectus mali moralis, ſi itaque cauſa non repugnat Dei providentiæ, nec effectus. Quod ſi quis immeritus inſortunia patiatur, habet ſpem in altera vita eo ampliora præmia recipiendi.

§ 93.

Si veræ Dei perfectionum cognitioni actiones conformemus; Deum colimus, eſt itaque *cultus Dei*, actio cujus motiva deſumuntur ex perfectionibus divinis. Et quia actiones hominis aliæ internæ ſunt, aliæ externæ, etiam cultus Dei eſt duplex: *Internus* eſt actio interna, cujus motiva deſumuntur ex perfectionibus divinis; *Externus* actio externa, cujus motiva deſumuntur ex perfectionibus divinis. Obligamur Deum colere. Quia obligamur manifeſtare perfectiones divinas, iſte enim eſt hominis finis ultimus, ſed manifeſtare Dei perfectiones eſt veram habere de Dei perfectionibus cognitionem, illique actiones conformare, hoc autem eſt Deum colere, ergo. Et quidem hæc obligatio eſt omnium maxima. Quia eo major eſt obligatio, quo majora bona tanquam motiva cum actione ſunt connexa, ſed cum cultu Dei ſunt maxima bona connexa, qui enim Deum colit ejus perfectiones imitatur, & obtinet ſummum bonum, Dei enim perfectionibus nihil melius eſſe, aut ſingi poteſt, ergo.

§ 94

§ 94.

Partes cultus Dei interni ſunt: I. *Amor Dei*, ſeu promptitudo gaudium percipiendi ex perfectionibus divinis. Obligamur Deum amare. Quia in ſe ſummum bonum eſt, infinitis perfectionibus præditum ens: Obligamur enim veram habere Dei perfectionum cognitionem, & vivam, quia obligamur manifeſtare perfectiones divinas, & ad legis cuſtodiam ex parte intellectus requiritur viva legis cognitio, jam autem ex vera, & viva Dei perfectionum cognitione neceſſario oritur gaudium, in quo amor Dei conſiſtit, ergo. *Deinde* obligamur Deum amare, quia erga nos ſumme bonus eſt. Quidquid enim boni habemus, & impoſterum habituri ſumus, totum proficiſcitur a Deo, ergo bonitas Dei erga nos eſt infinita ejus perfectio, ſed ideo obligamur Deum amare, quia in ſe ſummum bonum eſt, ergo etiam ideo, quia erga nos ſumme bonus eſt.

Neque dicas amorem Dei ob accepta beneficia intereſſatum eſſe, & inconvenientem. Quia amare benefactorem rectæ rationi conforme eſt: confirmant hoc ſacræ litteræ Joan. Epiſt. 1. 4. Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

§ 95.

II. *Reverentia*, ſeu *timor filialis*, id eſt ſollicitudo nihil faciendi, quod Dei voluntati adverſetur, & ſi quid factum eſt, pœnitendi, veniam deprecandi, & promittendi emendationem. Obligamur Deum revereri. Quia quicunque alterum amat, etiam reveretur, certus enim eſt id tantum ejus voluntati adverſari, quod ipſius perfectionibus contrarium eſt, ſed obligamur Deum amare, ergo etiam revereri. *Timor autem ſervilis* alter ſecundum quid talis eſt, qui quidem pœnarum repræſentatione oritur, ſed in illis non ſiſtit, alter ſerviliter ſervilis, qui tantum pœnarum repræſentatione excitatur, & in illis conquieſcit: Iſte timor illicitus eſt. Quia cum odio Dei conjunctus eſt, illum enim odio habemus, a quo unice mala expectanda habemus. III. *Fiducia in Deo*, ſeu diſpoſitio animi, qua quis officium ſuum faciens de cetero ſe, ſuaque omnia divinæ committit providentiæ. Obligamur in Deo fiduciam collocare. Quia obligamur Dei perfectiones cognoſcere, ergo obligamur Deum cognoſcere ut *omniſcium*, qui omnes noſtras indigentias melius, atque nos ſcit, ut *omnipotentem*, qui illis poteſt ſubvenire, denique ut *optimum*, qui etiam vult, quatenus id ſummæ ipſius ſapientiæ non repugnat, ſed etiam obligamur actiones noſtras cognitis Dei perfectionibus conformare, ſed hoc ipſo nosmet

ipſos,

ipſos, & omnia noſtra debemus Dei providentiæ committere, ergo. *Dico*, debere nos noſtrum facere officium, & ſic in Deo confidere. Quia divinæ ſapientiæ repugnat otio torpentes adjuvare, tunc enim fruſtra dediſſet hominibus tot eximias facultates. IV. *Obedientia*, ſeu promtitudo animi faciendi, quod Deus vult, & omittendi, quod Deus non vult. Obligamur Deo obedire. Quia obligamur Deum amare, ergo eidem obedire, qui enim alterum amat, facit, quod ille vult, & omittit, quod ille non vult. Quia Deus eſt juſtiſſimus, qui obedientes præmiabit, & puniet inobedientes, ergo. Cultum Dei internum deſtruunt: *Odium Dei, irreverentia, deſperatio, inobedientia, & omnis ſuperſtitio.* Hæc in genere eſt erroneus de Deo conceptus, in ſpecie eſt vanus timor Dei, v. g. metus lemurum &c., hæc enim partibus cultus Dei interni oppoſita ſunt; Hæc & ſimilia fugienda ſunt. Quia lex præcipiens unum, eſt prohibens ejus contrarium; idem enim non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe.

§ 96.

Cultus Dei externus in eo conſiſtit, ut veras de Deo, ejusque perfectionibus cogitationes, tum amorem, reverentiam, fiduciam, atque obedientiam voce, aliisque ſignis declaremus. Quia cultus externus ſine interno non poteſt intelligi, ad omnem enim cultum Dei requi-

quiritur cognitio Dei perfectionum, & voluntas cognitis Dei perfectionibus actiones ſuas conformandi, quæ interna ſunt, jam autem cultus Dei internus in eo conſiſtit, ut veras de Deo, ejusque perfectionibus cogitationes habeamus, eum amemus, &c. ergo. Huc ſpectant I. *Orationes.* Eſt vero oratio, invocatio ſummi numinis ore prolata: cujus quatuor ſunt ſpecies; *Supplicatio*, ſeu oratio, quam pro bonis a Deo obtinendis fundimus, *Preces*, ſeu oratio, quam pro avertendis malis adhibemus, *Gratiarum actio*, ſeu oratio, qua gratum animum conteſtamur ſive pro obtentis bonis, ſive pro depulſis malis, *interpellatio*, ſeu oratio, qua pro aliis intercedimus. Quia per orationes veras de Deo, ejusque perfectionibus cogitationes, tum amorem, reverentiam &c. voce declaramus, in quo cultus Dei externus conſiſtit, ergo. Ad orationes referuntur *hymni ſacri*, ſeu orationes redactæ in verſus, & *cantus ſacri*, ſeu orationes modulamine vocis peractæ: Et quidem hæc cultui Dei externo promovendo valde ſunt idonea. Quia facilius in animos influunt, attentionem augent, & memoriæ tenacius inſiguntur.

§ 97.

II. Ad cultum Dei externum pertinent templa. *Templum* eſt locus pro manifeſtandis perfectionibus divinis deſtinatus. II. *Dies feſti.*

Dies

Dies feſti ſunt tempora pro manifeſtandis perfectionibus divinis deſtinata. IV. *Ceremoniæ ſacræ*, ſeu ſigna eorum, quorum in manifeſtatione perfectionum divinarum recordari debemus. V. *Imagines ſacræ*, ſeu ſigna, quibus vel Dei perfectiones, vel ejus opera, vel etiam exempla ſingularia pietatis in memoriam revocantur. Quia per hæc veras de Deo cognitiones, item amorem, fiduciam &c. externe declaramus in quo cultus Dei externus conſiſtit, ergo. De his obſervandum *Primo:* Ratio ſibi ſoli relicta non determinat templa, nec dies feſtos, neque ceremonias. Quia rationi idem eſt ſive in hoc loco, ſive in illo colatur Deus, ſive hoc, ſive alio tempore, ſive iſtis, ſive aliis convenientibus ceremoniis; ergo non habet rationem ſufficientem cur potius hic, vel alibi ſit templum, cur potius hodie, quam cras debeat eſſe dies feſtus &c., ſed ratio ſine ratione ſufficiente nihil poteſt determinare, ergo. *Secundo:* Ratio ſibi ſoli relicta agnoſcit neceſſaria eſſe aliqua templa, dies feſtos, & ceremonias. Quia agnoſcit manifeſtandas eſſe perfectiones divinas in aliquo loco, quod templum eſt, aliquo tempore, quod dies feſtus eſt, & aliquo modo, quo ceremoniæ, & imagines ſacræ pertinent, ergo. *Tertio:* Ratio docet, *ne dies feſti ſint frequentes.* Quia ſecus copia ſua, vel in contemptum abibunt, vel neceſſariis laboribus erunt impedimento. *Ne ceremoniæ ad rerum ſacrarum memoriam inſtau-*

ſtaurandam inhabiles adhibeantur. Quia ſecus riſum, non pietatem in nobis excitabunt, & tandem ipſa religio vileſcet; *Ne cultus Deo debitus imaginibus materialibus exhibeatur.* Quia hoc eſt idolomania.

§ 98.

Obligamur ad cultum Dei etiam externum, & quidem etiamſi extra omne commercium hominum viveremus. Quia conſtamus anima, & corpore, ponimus non tantum internas, ſed etiam externas actiones, jam autem omnium actionum hominis finis ultimus eſt manifeſtatio perfectionum divinarum, ex qua obligatio Deum colendi promanat, ergo. *Deinde* teſte intimo ſenſu ſæpe in cultu Dei interno impedimur diſtractionibus, quod vitandum eſt, obligamur enim ad cultum Dei internum, jam autem hoc optime vitatur, ſi adhibeamus perceptionem ſociam, qualis eſt cultus Dei externus, iſte enim id in memoriam revocat, in quo ſe cultus Dei internus occupat, cum ergo obligemur ad cultum Dei internum, obligamur etiam ad externum.

Objicitur: Quod Deus ſit purus ſpiritus. Quod non egeat cultu externo. Quod manifeſtatio perfectionum divinarum debeat tantum propter alios fieri. *Reſpondemus ad* 1. Homo tamen, qui obligatur Deum colere non eſt purus ſpiritus. *Ad* 2. Deus neque cultu interno

 eget,

eget, & tamen ad illum obligamur, ergo etiam. *Ad* 3. Equidem manifeſtare perfectiones divinas debemus etiam coram aliis, ut illos perficiamus.: Attamen manifeſtare perfectiones divinas ſignificat, actionum ſuarum motiva deſumere ex cognitis perfectionibus divinis, & verbis, factisque teſtari, quod Deus pro ente perfectiſſimo agnoſcatur.

§ 99.

Cultui Dei interno, & externo adverſatur I. *Blaſphemia*, ſeu dictum, vel factum in contumeliam Dei vergens. II. *Idololatria*, ſeu veneratio ſoli Deo debita exhibita creaturis. *Pietas politica*, ſeu ſimulatio pietatis externæ absque interna, quæ ſi fiat ob lucrum, eſt *Hypocriſis*, ſi ob vanam gloriam, *Phariſaismus*. IV. *Pietas mechanica*, ſeu cultus Dei externus facultatibus tantum corporeis peractus absque omni attentione. V. *Pudor pietatis*, dum quis erubeſcit preces fundere, aut Deum confiteri. VI. *Omnia facta ſuperſtitioſa*, *fanatica*, *ac divinatoria*. V. g. ſi effectus a Deo tantum pendentes attribuantur creaturis, ſic ope magiæ, ope diaboli ſperare dignitates, valetudinem &c. ſi oculta Dei judicia interpretemur temere, v. g. ex influxu aſtrorum, huc pertinent ſic dicta ordalia, ſeu tentationes Dei, uti judicium candentis ferri &c. Si Deus, quaſi avarus eſſet, donis, humanis victimis placari credatur. Si

a Deo pro patrandis facilius ſceleribus, furtis auxilium petatur: Ab his abſtinendum eſt. Quia lex præcipiens unum, eſt prohibens contrarium. Inter illuſtrare gloriam Dei, & eandem non obſcurare hæc eſt differentia: Quod illuſtratio gloriæ Dei fiat actione poſitiva, v. g. orare, non obſcuratio autem actione negativa, v. g, non blasphemare. Hinc illuſtrare gloriam Dei obligamur ſemper, ſed non pro ſemper. Quia illuſtratio gloriæ Dei requirit actionem poſitivam, hæc occaſionem, ſeu locum, tempus, vires, quæ ſæpe deſunt ita, ut impoſſibile ſit actionem ponere, jam autem ad impoſſibilia non datur obligatio, ergo. Non obſcurare autem gloriam Dei obligamur ſemper, & pro ſemper. Quia non obſcuratio gloriæ Dei requirit actionem negativam, pro qua nunquam deeſſe poteſt occaſio, ergo.

§ 100.

Religio eſt cognitio Dei, & modus Deum colendi. Hinc duas habet partes: Theoreticam, ſeu cognitionem Dei, & practicam, ſeu cultum Dei. Alia eſt *vera*, ſi ſit conformis Dei perfectionibus, alia *falſa*, ſi ſit Dei perfectionibus difformis. Item alia eſt *naturalis*, quæ ope ſolius rationis cognoſcitur, alia *poſitiva*, quæ primum accedente divina revelatione innoteſcit. Tametſi ex ſacris litteris conſtet jam primis hominibus factam fuiſſe revelationem, religio tamen

 men

men naturalis per revelatam ſublata non eſt. Quia leges naturales immutabiles ſunt. Quæritur hic, an ſecundum jus naturæ detur libertas conſcientiæ, libertas religionis? Reſpondemus cum diſtinctione: Si per libertatem religionis intelligatur libertas moralis, ac ſi liberum eſſet homini Deum colere, vel non, talis non datur. Quia obligatio Deum colendi eſt omnium maxima, ubi autem eſt obligatio, ibi non eſt libertas moralis: Si vero per libertatem religionis intelligatur libertas a coactione phyſica ad actiones pias, talis datur. Quia religio conſiſtit in convicto intellectu de perfectionibus divinis, & voluntate Deum colendi, jam autem nec in intellectum, nec voluntatem cadit coactio phyſica, ergo.

§ 101.

Si plures homines in religionem quampiam conſentiant, efficiunt eccleſiam. *Eccleſia* eſt ſocietas ad Deum eodem modo colendum inita, & quidem *naturalis*, ſi ſola ratione cognoſcatur, atque *univerſalis*, ſi ad omnes homines pertineat. Eccleſia naturalis univerſalis poteſt concipi. Quia ſola ratione cognoſcimus omnes homines debere manifeſtare perfectiones divinas. Verum in hac eccleſia I. nullum eſt perſonarum diſcrimen. Quia perſonarum diſcrimen venit ex diſcrimine jurium, diſcrimen jurium ex diſcrimine obligationum, jam autem par eſt obliga-

ligatio omnium hominum manifeſtandi perfectiones divinas. II. Nulli ſunt determinati ritus. Quia hæc eccleſia ſola ratione cognoſcitur, ſola autem ratio ritus determinare non ſcit. III. Nullum eſt imperium. Quia paria ſunt omnium jura. IV. Nemo alterum ab hac eccleſia excludere poteſt. Quia nemo habet imperium. V. Nemo ſe ipſum ab hac eccleſia ſeparare poteſt. Quia nemo ſe ab obligatione manifeſtandi perfectiones divinas eximere poteſt. VI. Docet neceſſitatem revelatæ religionis. Quia in omni eccleſia debet adeſſe ordo, & unio animorum in Deo colendo, eccleſia enim eſt ſocietas ad Deum eodem modo colendum, jam autem in eccleſia naturali talis ordo, & unio ſaltem diutius ſperari non poteſt, nulli enim ſunt determinati ritus, nullum imperium, quæ tamen omnia præſto ſunt in eccleſia revelata, ergo. Deinde ſola ratio non ſuppeditat modum ſe cum offenſo Deo reconciliandi, aut quod ſacrificium ſit tantæ Majeſtati convenientiſſimum, ſuppeditat autem religio revelata, ergo. Licet vero tantopere præcellat religio revelata naturalem, hæc tamen inſignem adhuc habet uſum. Quia docet neceſſariam eſſe revelationem. Quia illas gentes, quæ non agnoſcunt auctoritatem ſacrarum litterarum, docet naturaliter Deum colere. Quia eſt criterium diſcernendi veram revelationem a falſa ſecundum hoc principium: Illa revelatio eſt falſa, quæ religioni naturali

verſatur. Quia idem Deus eſt auctor rationis, & veræ revelationis, qui ſibi ipſi contradicere non poteſt.

Equidem revelatio ſuperat rationem in hoc ſenſu, quod ratio ſibi ſoli relicta nulla meditatione poſſet in cognitionem revelatarum veritatum devenire, non tamen in illo, ac ſi revelatæ veritates contra rationem eſſent.

CAPUT II.

De officiis erga ſe ipſum, ſeu de honeſtate naturali.

§ 102.

Dantur officia erga ſe. Quia quilibet homo obligatur ſe conſervare & perficere, obligationi correlatum eſt jus, uſus juris eſt officium, ergo. Media ſe perficiendi ſunt *primo*, Noſcere ſe ipſum. Quia ſine ſui notitia, nec ſciet homo quas debeat perfectiones aquirere, nec, quas imperfectiones emendare. *Secundo*, vitas aliorum inſpicere. Quia aliorum ſumus rigidiores cenſores, quam proprii. *Tertio*, inquirere, qua ratione alii ſint facti perfectiores, vel imperfectiores, & nobis applicare. Quia ſimiles cauſæ ſimiles producunt effectus. His mediis uti de-

debemus. Quia qui obligatur ad finem obligatur etiam ad media. Officia erga ſe alia ſunt *interna*, ut ſtatum noſtrum internum perficiamus, id eſt animam, corpus,& utriusque facultates, alia *externa*, ut ſtatum noſtrum externum perficiamus, huc pertinent variæ res, & bona exiſtimatio. *Anima* perficitur, ſi intellectus, & voluntas perficiatur. Quia ex his potiſſimum conſtat anima. *Intellectus* autem perficitur, ſi omnes tam inferiores, quam ſuperiores facultates ita exerceantur, ut ope illarum veritatem, & falſitatem rerum poſſimus deprehendere, conſequenter vincere ignorantiam, depellere errores, eamque evitare cognitionum confuſionem, quæ in diſcernendo honeſto a turpi poſſet obvenire. Quia finis intellectus eſt veritatis cognitio, perfectio autem eſt concordia variorum in unum. *Voluntas* perficitur, ſi cum intellectu conſentiat, hoc eſt, ſi verum bonum per intellectum cognitum appetat, & verum malum per intellectum cognitum averſetur. Quia iſte eſt finis voluntatis, perfectio autem eſt concordia variorum in unum. Hinc non ſufficit leges naturales ſcire tantum, ſed oportet eas obſervare. Perfectioni voluntatis obſtat, ſi appetitio, vel averſatio ſenſitiva, & potiſſimum ſi affectus rationi non ſubjiciantur. Quia tunc non veris, ſed apparentibus motivis voluntas determinatur. Quapropter obligamur appetitiones, & averſationes, atque affectus rationi

 ſub-

ſubjicere. Quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam impedimenta tollere.

§ 103.

Corpus perficitur, ſi ſanum conſervetur. Quia tunc ſingula corporis membra concordant in ejus conſervationem, quod perfectio eſt; Magis autem perficitur, ſi corporis membris varia habilitas, & dexteritas, exercitatione, vel arte comparetur, v. g. deambulatione, equitatione, digladiatione, natatione &c. Hinc non licet vires corporis mollitie atterere, vitæ & ſanitatis pericula temere ſubire, ſe mutilare. Quia talibus actionibus corpus non perficitur. Præſertim vero non licet ſe occidere. Quia per ſui occiſionem evertitur eſſentialis hominis perfectio, quæ in corporis cum anima conjunctione ſita eſt, & eripitur omnis occaſio ſe impoſterum perficiendi.

§ 104.

Ut ſtatum noſtrum externum perficiamus, debemus nobis varias res, uti eſt cibus, potus, amictus, in morbis medicamenta, habitatio, comparare, tueri, illisque uti. Quia ſine his vitam, & ſanitatem conſervare non poſſumus. *Labor*, eſt exercitatio facultatum noſtrarum cum aliqua ſaltem ægritudine conjuncta. *Otium* autem eſt ceſſatio a labore ad finem ſuum neceſſario. Obligamur laborare. Quia ſine labore

nec

nec ſtatum internum poſſumus perficere, neque res nobis comparare, illisque uti. Et otium vitare. Quia lex præcipiens unum eſt prohibens contrarium. *Circa cibum tamen*, potum, & medicamenta, hæc cautela eſt obſervanda, ne utamur noxiis, aut immoderate. Quia ſecus non erunt media, ſed impedimenta ſanitatis, *Circa amictum*, ut frigoris, & tempeſtatum moleſtiis arcendis inſerviat, ſervandæque verecundiæ. Quia ſecus vel erit impedimentum ſanitatis, vel prodet animum inverecundum, & imperfectum. *Circa habitationem*, ut habeat munditiem, commoditatem, & ſalubrem aerem. Quia ſecus erit impedimentum ſanitatis. *Circa laborem*, ut improbus vitetur. Quia frangit vires, & operas impedit futuras. Hinc licet aliquando, nimirum poſt peractos labores, vivere in *honeſto otio*, id eſt vel quiete frui, vel occupari innocua diſtractione per quam nempe nihil fit ſive contra officia erga Deum, ſive contra officia erga ſe, ſive contra officia erga alios. Quia inter laborem improbum, & otium eſt medium honeſtum otium. Ad perfectionem ſtatus externi pertinet *temperantia*, ſeu virtus in cura corporis, uſu veſtium & rerum ſtatutum ſervandi modum, & *frugalitas*, ſeu virtus debitam menſuram obſervandi in comparandis, atque expendendis rebus. Quia quatenus hæc in oculos aliorum cadunt, merentur approbationem, pariunt bonam exiſtimationem, & conſtituunt decorum hominis,

jam autem decorum perficit ſtatum hominis externum, ergo. Temperantiæ opponitur *intemperantia*, *luxuria*, *ingluvies*, *&* *ebrietas*, frugalitati *avaritia*, *&* *prodigalitas*. Temperantiam, & frugalitatem obligamur ſectari. Quia obligamur ſtatum noſtrum externum perficere, & contraria vitia fugere. Quia lex præcipiens unum eſt prohibens contrarium.

§ 105.

Ad perfectionem ſtatus externi refertur etiam applicatio ſui ad certum vitæ genus. *Vitæ genus* ſunt determinati quidam labores, & occupationes. Quilibet homo obligatur certum vitæ genus eligere. Quia quilibet obligatur laborare, ſed omnes labores nemo poteſt præſtare, ſunt enim infiniti, ergo debet certos eligere, ſed hoc eſt vitæ genus, ergo. Et quidem tale vitæ genus debet quisque amplecti, in quo ſe, & alios quam maxime poſſit perficere. Quia ideo quisque debet certum vitæ genus amplecti, quia laborare obligatur, ſed ideo quisque debet laborare, ut ſe, & alios quam maxime perficiat, labor enim eſt exercitatio facultatum noſtrarum, quarum finis eſt, ut nos, & alios perficiamus, ergo. Ne autem in eligendo vitæ ſtatu erremus, ad ſequentes regulas attendendum eſt: 1; Non debemus nos prius ad aliquem ſtatum determinare, quam potuimus dijudicare, an ille conſiderando animi, & corporis dotes, procli-

vita-

vitates, & facultates externas nobis ſit accomodatiſſimus. Quia ſecus poſſemus talem eligere, in quo nec nos, nec alios perficeremus. 2° Debemus voluntatem eorum, quibus ſubſumus, explorare, uti ſunt parentes &c. Quia imprimis his obedire obligamur, deinde iſti ſæpius melius noſcunt noſtras animi, & corporis dotes, atque facultates externas. Poſtquam vero quis certum vitæ genus aſſumpſit, debet omnes ſui officii partes accurate implere. Quia ſecus nec ſe, nec alios perficiet, ob quem tamen finem debuit vitæ genus amplecti.

§ 106.

Præterea ad ſtatum externum ſpectat *exiſtimatio*, ſeu judicium aliorum de morali noſtra perfectione, vel imperfectione: Et *fama* ſeu judicium aliorum de morali noſtra perfectione, vel imperfectione, ſed magis divulgatum: Exiſtimatio, & fama vel eſt *bona*, ſeu judicium aliorum de morali noſtra perfectione, vel *mala*: ſeu judicium aliorum de morali noſtra imperfectione. Item vel eſt *vera*, ſeu judicium aliorum verum de morali noſtra perfectione, vel imperfectione, vel *falſa*, falſum judicium aliorum de morali noſtra perfectione, vel imperfectione. Bona autem exiſtimatio alia eſt *naturalis*, vi cujus quilibet debet præſumi nullis eſſe fædatus vitiis, alia *hypothetica*, quam quis ſibi vel virtutibus intellectualibus, vel morali-

bus

bus comparavit. Hæc, ſi declaretur verbis, eſt *Laus*, ſi factis, *Honor*, ſi autem bonorum, & peritorum conſenſu ſtabiliatur propter eminentes dotes, *Gloria* nuncupatur. Mala exiſtimatio hypothetica ſi verbis exprimatur dicitur *vituperium*, ſi factis, *contemptus*, ſi denique bonorum. & peritorum conſenſu, *infamia*. Obligamur bonam exiſtimationem cuſtodire, & augere. Quia provenit ex perfectionibus moralibus, jam autem nos perficere obligamur. Deinde in promotione felicitatis noſtræ pendemus multum à judicio aliorum, ergo ſolliciti eſſe debemus, ut illud de nobis ſemper ſit bonum, ſed in hoc conſiſtit bona exiſtimatio, ergo. Malam autem exiſtimationem obligamur vitare, in ſpecie *ambitionem*, ſeu appetitum laudis, & honoris propter ſe tantum, & *arrogantiam*, ſeu appetitum laudis, & honoris propter opinatas perfectiones, aut fortuito obvenientes. Quia hæc contraria ſunt bonæ exiſtimationi, non enim proveniunt ex veris perfectionibus.

Verum quidem eſt non eſſe in noſtra poteſtate, ut alii de nobis bene judicent, & loquantur, veram tamen laudem, & honorem honeſtis actionibus promereri in noſtra ſitum eſt poteſtate, quod ſi facimus, aliorum de nobis judicium, & ſermo, niſi a veritate abhorreat, alius eſſe non poteſt, niſi honorificus; Et qui ſe non vult honore dignum reddere, reſpuit perfectionem, quod non licet.

§ 107.

§ 107.

Denique ad ſtatum externum pertinent bona, & mala fortuna. *Fortuna* ſunt eventus ab inevitabili cauſarum nexu conſequentes, hi ſi ſint boni, dicuntur fortuna proſpera, ſi vero mali, fortuna adverſa. Propter fortunam proſperam nemo meretur laudem, ſicut propter adverſam nemo meretur vituperium. Quia neutra fortuna eſt nobis libera, ergo nec eſt perfectio, nec imperfectio moralis, jam autem laus competit tantum propter perfectiones morales, & vituperium ob imperfectiones morales, ergo. In utraque fortuna obligamur *animi magnitudinem* ſervare, hoc eſt in proſpera non debemus ſuperbire, & in adverſa non deſperare Quia utrumque eſt vitium, & alioquin neutra nobis poteſt imputari: Ad animi magnitudinem habendam multum prodeſt ſe ad futuros caſus præparare, hoc eſt in proſpera fortuna metuere adverſam, & in adverſa ſperare proſperam. Quia fortuna eſt inconſtans, & ſic in proſpera non erimus arrogantes, in adverſa non abjiciemus animos, in quo animi magnitudo conſiſtit.

§ 108.

Obligamur non tantum ſtatum noſtrum internum, ſed etiam externum perficere. Quia perfectio ex omnimoda rei expletione conſurgit,

im-

imperfectio autem ex quolibet defectu, jam autem perficere nos obligamur. Accidit tamen aliquando, ut omnibus hiſce officiis ſimul ſatisfacere nequeamus, ideo quæritur, an vera ſit regula: *Neceſſitas non habet legem?* Tunc vera eſt, ſi pro aliquo officio implendo neceſſaria nobis deſint remedia, v. g. ad vaſtam ſylvam delatus nullos habeat cibos vitam conſervandi. Quia ſine mediis impoſſibile eſt finem obtinere, ergo etiam nulla datur obligatio, ad impoſſibilia enim non datur obligatio, ubi autem nulla obligatio, ibi etiam nulla lex. Tunc autem falſa eſt, ſi tantum officiorum inter ſe conflictus oriatur. Quia in conflictu adeſt obligatio legem fortiorem præferendi debiliori, ubi autem datur obligatio, ibi datur etiam lex. Ex hoc fundamento obligamur malum incertum præferre certo. Quia malum certum nos multo imperfectiores reddit, quam incertum: Niſi malum certum longe levius eſſet, quam incertum, hoc tamen valde probabile. Quia tunc per malum certum majorem evitamus imperfectionem. Sic ad evitandam gravem infirmitatem obligamur ſumere amaram medicinam. Hinc *jus neceſſitatis* eſt facultas moralis in conflictu legi fortiori parendi; neque eſt jus permiſſivum, quaſi liberum eſſet homini in conflictu ſive majus, ſive minus malum eligere, ſed eſt jus ſtricte tale. Quia eſt correlatum obligationi legem fortiorem præferendi debiliori. *A jure neceſſitatis differt favor*

vor neceſſitatis, ſeu excuſatio ab imputatione actionis in conflictu officiorum poſitæ, quæ tripliciter fit: 1° excuſatur is ab omni imputatione, qui officium ſuum non implevit propterea, quod ipſi neceſſaria defuerint media. Quia tunc actio contra officium fuit ſimpliciter neceſſaria, ergo non fuit libera, jam autem tantum liberæ actiones imputantur. 2° excuſatur is a pœna, qui in conflictu legem fortiorem debiliori prætulit. Quia ejus actio fuit legi conformis, qualis non in pœnam, ſed præmium imputatur. 3° Minorem meretur pœnam, qui in conflictu exceptionem facit ſecundum debiliorem legem. Quia actio in conflictu eſt invita, ſed talis minus imputatur, quam ultronea.

§ 109.

Regulæ in conflictu officiorum erga ſe obſervandæ ſunt ſequentes: I. Si vel animi, vel corporis perfectio eſt negligenda tunc potius corporis, quam animi perfectio debet negligi. Quia perfectio animi majus eſt bonum, anima enim eſt nobilior pars hominis, quam corpus, II. Si vel animi perfectio, vel corporis cura in gravi morbo eſt negligenda, tunc potius illa, quam hæc debet negligi. Quia ex neglecta cura corporis ſequitur mors, ergo majus malum, morte enim omnis occaſio præciditur ſe perficiendi, & habita vita neglecta animi perfectio recuperari poteſt, jam autem in conflictu minus

ma-

malum præferendum eſt majori. III. Si vel aliquod membrum, vel totum corpus foret amittendum, præſtat amittere membrum. Quia amiſſio totius eſt majus malum, quam amiſſio partis. IV. Si vel membrum, vel res externæ ſunt amittendæ, præſtat amittere res externas. Quia res poſſunt recuperari, non item membra, ergo amiſſio membrorum eſt majus malum, quam amiſſio rerum. V. Si vel *res neceſſariæ*, ſine quibus vita non poteſt conſervari, vel *utiles*, quæ ad vitam ſine tædio transigendam requiruntur, vel *jucundæ*, quarum uſus ſenſuum externorum voluptati inſervit, ſunt negligendæ, tunc potius negligendæ ſunt res utiles, quam neceſſariæ, & jucundæ potius, quam utiles. Quia neceſſariæ adferunt majus bonum, quam utiles, & utiles majus, quam jucundæ. VI. Si vel *labores neceſſarii*, quibus res neceſſariæ comparantur, vel *utiles*, quibus res utiles comparantur, vel *jucundi*, quibus res jucundæ comparantur, ſunt negligendi, tunc præſtat negligere utiles præ neceſſariis, & jucundos præ utilibus. Quia neceſſarii majus adferunt bonum, quam utiles, & utiles majus, quam jucundi. VII. Si officia erga nos confligant cum officiis erga Deum, fieri debet diſcrimen inter officia erga Deum *affirmativa*, ſeu illuſtrationem gloriæ Dei, quæ in poſitione actionis piæ conſiſtit, v. g. ire ad templum, & officia erga Deum *negativa*, ſeu non obſcurationem gloriæ Dei, quæ in

in omiſſione actionis impiæ conſiſtit, v. g. non blasphemare. Si enim officia erga nos confligant cum officiis erga Deum negativis, tunc omnia officia erga nos, ipſa etiam vita potius eſt negligenda. Quia negligendo officia erga Deum negativa negligimus omnium obligationum maximam, jam autem in conflictu fortior lex debet præferri debiliori. Deinde non obſcurare gloriam Dei obligamur ſemper, & pro ſemper. Si vero gravia, aut magnæ utilitatis officia erga nos confligant cum officiis erga Deum affirmativis, tunc officia erga nos poſſumus præferre. Quia ex neglectu horum poſſet majus malum oriri, hæc enim neglecta vel nunquam, vel difficulter recuperantur, illa autem alio tempore ſuppleri poſſunt. Deinde illuſtrare gloriam Dei obligamur quidem ſemper, ſed non pro ſemper.

§ 110.

Nunquam tamen poteſt ejusmodi conflictus officiorum erga ſe evenire, ut licita eſſet *autochira*, ſeu voluntaria ſui ipſius occiſio. Quia cum quibuscunque officiis erga nos, cum libertate, exiſtimatione, valetudine &c. confligat vitæ conſervatio, ſemper vita eſt majus bonum, quam alia erga nos officia, vita enim eſt omnium bonorum temporalium fundamentum, & æternorum occaſio, jam autem majus bonum ſemper debet præferri minori. Sed etiam alia

officia erga nos amiſſa poſſunt alio loco, vel tempore recuperari, vita autem amiſſa nunquam, ergo illorum amiſſio eſt malum incertum, amiſſio autem vitæ eſt malum certum, & graviſſimum, ſed non licet malum certum grave præferre malo incerto.

Neque dicas: Hominem, cui multa mala iminent, a Deo ad mortem deſtinari. Quia immutabilis Dei voluntas eſt, ut nos conſervemus, & ut in malis non deſperemus. *Quod vero Samſon ſe occiderit*, fecit Dei auctoritate Judic. 16. *Neque urgeas*: Animam eſſe in corpore velut in carcere, ex quo fugere licet. Quia anima corpus ſuum amat, ex ejus enim perfectionibus voluptatem percipit, nemo autem carcerem amat, ſed nec licet pœnæ jure dictatæ ſe ſubtrahere. *Ad minimum* licebit ſui occiſione mortem acerbam, & infamem prævenire, utpote majus malum. Nequaquam. Quia primum mors acerba incerta eſt, ſui occiſio eſt certa, deinde mors illa acerba prolongat vitam, ſui occiſio abbreviat, denique mors acerba eſt tantum malum phyſicum, ſui occiſio malum morale; jam autem nec minimum malum morale poteſt licet maximo phyſico præferri, nunquam enim licet peccare. *Fruſtra hic* arguis, quaſi ſub cruciatibus præſertim homo ſenſus delicatioris poſſet deſperare, quod etiam malum morale eſt. Quia deſperatio malum morale ſed incertum eſt, ſui occiſio autem malum morale certum.

C A-

CAPUT III.

De naturali æquitate, ſeu officiis imperfectis.

§ 111.

Dantur officia erga alios. Quia obligamur alios conſervare, & perficere, obligationi correlatum eſt jus, uſus juris eſt officium, ergo. Et quidem officia erga alios vel ſunt *perfecta*, quæ in ſuo alterius habent rationem ſufficientem, ut nimirum neminem lædamus, & vocantur juſtitia ſtricte talis; Vel *imperfecta*, quæ in merito alterius habent rationem ſufficientem, ut aliis prodeſſe ſtudeamus, & vocantur æquitas. Ad officia erga alios imperfecta in *genere* pertinet *primum*, ut ſinguli homines ſe invicem perficiant. Quia quilibet homo ſe ipſum perficere obligatur, ſed ſine auxilio aliorum nemo ſe perficiet, partim quia talis imbecillitas nos jam in lucem editos comitatur, partim quia multiplici indigentia laboramus tam quoad conſervationem vitæ, quam quoad culturam animi, ut unus alterius indigeat opera, ſed etiam naturæ auctor tot eximias nobis concedendo facultates hoc intendit, ut nos mutuo perficiamus, jam autem finibus rerum a Deo creatarum conve-

nienter vivere obligamur, ergo. *Deinde* ut ſinguli homines ſe mutuo juvent, hoc eſt, ut efficiant, ut alter ope virium alterius ſuum propoſitum, ſeu perfectionem ſtatus interni, & externi poſſit aſſequi. Quia ſinguli homines obligantur ſe invicem perficere. Hinc omnes homines ratione mutuæ perfectionis, & felicitatis efficiunt unam perſonam moralem. Quia unitas juridice in variorum ad unum finem conjunctione conſiſtit. *Denique* ut alios perficiamus ſicut nosmet ipſos. Quia omnes homines æqualem habemus naturam humanam, mutuo autem nos perficere, & juvare obligamur, ergo. Hinc officia, quæ aliis debemus, plane eadem ſunt, ac illa, quæ nobis ipſis debemus; Aliis enim debemus præſtare perfectionem ſtatus interni, & externi, atque idem debemus nobis etiam procurare.

§ 112.

Ad officia erga alios imperfecta in *ſpecie* refertur: I. *Dilectio* aliorum, ſeu habitus voluntatis aliorum promovendi perfectiones; Amor aliorum, ſeu propenſio ex aliorum perfectionibus voluptatem capiendi. Obligamur alios homines ita amare, & diligere ſicut nosmet ipſos. Quia obligamur alios ita perficere, ſicut nosmet ipſos. II. *Philantropia*, ſeu caritas, id eſt virtus diligendi alios, tanquam ſemetipſum. Obligamur ad caritatem univerſalem, ſeu obligamur

omnes

omnes homines ita diligere, ſicut nosmet ipſos. Quia eadem habemus motiva, nos & alios omnes homines diligendi; Nos enim ideo debemus diligere, quia creati ſumus ad nos conſervandos, perficiendos, & manifeſtandas perfectiones divinas, atqui etiam alii omnes homines ad eosdem fines creati ſunt. III. *Humanitas*, ſeu virtus caritatem actionibus externis declarandi. Obligamur ad humanitatem. Quia ſecus inutilis, & ſine effectu eſſet caritas, niſi eam actionibus externis declararemus. Humanitatis ſpecies ſunt: *Candor*, ſi actiones externæ caritatem declarantes ſint ſinceræ. *Comitas*, ſi eædem actiones modeſtis cum geſtibus exhibeantur. *Civilitas*, ſi in iis recepti elegantiores mores obſerventur, *Feſtivitas*, ſeu major adhuc civilitatis gradus, & *Miſericordia*, ſeu ſtudium infelicibus ſubveniendi. Ad hæc obligamur; quia ſunt ſpecies humanitatis, ad quam obligamur. Humanitati adverſatur *inhumanitas*, *invidia*, ſeu tædium ex aliorum perfectione ortum, *ſiniſtra judicia*, denique *ſolipſiſmus*, ſeu egoismus moralis, dum quis ſui unice rationem habens alios prorſus negligit, caritati autem adverſatur *Miantropia*, ſeu odium aliorum, ſive gaudium ex infelicitate eorum. Quia lex præcipiens unum eſt prohibens contrarium. Hinc illa regula: *Amor incboat a ſemetipſo* tunc vera eſt, ſi in conflictu & ex perfectione noſtri, & ex perfectione aliorum æquale bonum proveniat. Quia

 in

in tali caſu non eſt ratio alios nobis præferendi, alios enim non obligamur magis diligere, quam nos, jam autem nihil poteſt eſſe ſine ratione ſufficiente, tunc autem falſa eſt, ſi ex perfectione aliorum majus bonum proveniat, quam ex perfectione noſtri. Quia in conflictu majus bonum debet minori præferri.

§ 113.

IV. *Amicitia.* Amicus eſt, qui nos amat, inimicus eſt, qui nos odit; amicus *internus* eſt, qui nos interne amat, *externus* vero, qui amorem ſuum ſignis externis ſignificat. Obligamur omnium eſſe amici non tantum interni, ſed etiam externi. Quia obligamur ad caritatem, & humanitatem univerſalem. Hinc etiam inimicos obligamur diligere. Quia ſunt homines; imo obligamur inimicos nobis *reconciliare*, ſeu efficere conari, ut ex inimicis faciamus amicos. Quia hac ratione & nos perficimus, amabimur enim, & inimicum perficimus, non enim ponet imperfectionem, atqui & nos, & inimicum perficere obligamur. Si autem inimicum nobis reconciliare non poſſimus, obligamur eum *emollire*, ſeu efficere, ut ſaltem minus noceat. Quia ſic & nos perficimus, minus enim habebimur odio, & inimicum perficimus, minorem etenim ponet imperfectionem, jam autem & nos, & inimicum perficere obligamur; Propterea ergo, quod inimicus caritatem violet, nobis jus eandem

dem violandi non tribuit, lex enim caritatis univerſalis eſt, & immutabilis. V. *Benevolentia*, ſeu benignitas, eſt proclivitas animi alios perficiendi, cujus duæ ſunt ſpecies: *Beneficientia*, id eſt actus externus, quo alium perficimus ſine ſpe retributionis, & *officioſitas*, id eſt actus externus, quo alium perficimus cum ſpe retributionis. Obligamur benevolentiam, & quantum in noſtra poteſtate poſitum eſt, etiam beneficientiam, & officioſitatem exercere. Quia obligamur omnium eſſe amici non tantum interni ſed etiam externi. *Dico*, quantum in noſtra poteſtate eſt poſitum. Quia ad impoſſibilia non datur obligatio. Inter benevolentiam, & beneficientiam hæc eſt differentia: Quod aliis bene velle ſemper poſſimus, non autem ſemper benefacere. Quia ad benevolentiam ſufficit voluntas, quæ per ſe nunquam exhauriri poteſt, ad beneficentiam autem requiruntur vires, & res, quæ ſæpe exhauriuntur. Talia autem bona, quæ non ſunt alterius neceſſitatibus attemperata, v. g. in ſiti cibus, vel quæ non ex amore, ſed vel ex ignorantia, vel ex ſtudio propriæ utilitatis, vel plane animo nocendi proficiſcuntur, non merentur nomen beneficii. Quia beneficium eſt actus beneficentiæ, ergo actus externus benevolentiæ, ergo ex proclivitate animi alios perficiendi proficiſci debet, quæ deeſt in ſimilibus bonis, ergo.

§ 114.

Officia erga alios alia ſunt *indefinita*, quæ generatim omnibus hominibus præſtantur, & communem felicitatem promovent, hæc officia implent illi, qui idoneum ſibi eligunt vitæ ſtatum, qui utilia proſequuntur inventa, qui virtutes intellectuales, & morales proprio exemplo commendant: Negligunt autem, qui nulli ſe addicunt vitæ generi, qui perniciofas doctrinas promovent, & utiles vel ocultant, vel plane criminantur. Alia ſunt *definita*, quæ certis tantum perſonis præſtantur; Et hæc vel ſunt *innoxiæ utilitatis*, quæ ſine diminutione rerum præſtantur, v. g. Dare conſilium, vel *non innoxiæ utilitatis*, quæ cum diminutione rerum præſtantur, v. g. Dare elemoſynam. Quod ſi inter præſtationem horum officiorum conflictus oriatur, ſequentes regulæ ſunt obſervandæ: 1° Si beneficium aliis præſtando majus in nos redundaret damnum, non tenemur illud præſtare. Quia in conflictu non tenemur majus malum eligere. 2° Si inter alios, quibus beneficium præſtare poſſumus, ſit perſona nobis præ aliis conjuncta, v. g. conſanguineus, illi præ aliis dandum eſt beneficium. Quia talem perſonam non tantum ideo amare debemus, quia homo eſt, ſed etiam, quia conſanguineus eſt, ergo compoſita lex caritatis, & fortior pro eo militat, jam autem in conflictu fortior lex præferri de-

bet

bet debiliori. 3° Si inter alios ſit perſona magis digna, huic præ minus digna dandum eſt beneficium. Quia magis digna perſona habet majus jus ad beneficium, ergo ejus juri major eſt correlata obligatio, & lex, ſed in conflictu fortior lex debiliori præferenda eſt. 4° Illos juvare non obligamur, qui ad obtinendam perfectionem convenientem ipſi ſibi ſufficiunt. Quia ſecus daremus anſam ſocordiæ, eosque redderemus imperfectiores.

§ 115.

Illa regula: *Invito non datur beneficium.* Vera eſt, ſi agatur de beneficio, cui renunciare licet. Quia fieri poteſt, ut id, quod nos beneficium putamus, reſpectu circumſtantiarum alterius, de quibus ille optime judicare poteſt, ſit maleficium, atqui maleficium nemini poteſt obtrudi. Falſa autem, ſi agatur de beneficio evidenter tali, cui renunciare non licet, v. g. ſubvenire ſe ſuſpendenti. Quia obligatio alios perficiendi non ab eorum conſenſu, ſed a natura profluit. Quodſi tamen vires ejus contrariæ non poſſint ſuperari, ceſſat obligatio. Quia ad impoſſibilia non datur obligatio. Vel ſi quidem poſſint ejus vires ſuperari, ſed cum majori ejus, vel noſtra pernicie, etiam ceſſat obligatio. Quia in conflictu non poteſt majus malum minori præferri.

Neque objicias : Invitum ſibi beneficium repræſentare ut malum. Quia erronea eſt hæc repræſentatio, error autem alterius nobis in exercitio juris noſtri alios perficiendi non poteſt ponere impedimentum, ſecus nos læderet, contra lædentem autem datur jus cogendi.

§ 116.

VI. Denique *gratitudo*, ſeu dilectio ejus, qui nobis benefecit. Obligamur benefactores magis diligere, quam non benefactores. Quia pro dilectione benefactorum plura ſunt motiva, nempe, quia homines ſunt, & quia benefactores, jam autem eo major eſt obligatio, quo plura motiva cum actione connexa. Hinc benefactoribus obligamur gratum animum vel re, vel opera, vel verbis exhibere. Quia ſine effectu eſſet gratitudo, niſi eam actionibus externis ſignificaremus, nemo enim hominum interna aliorum videt: Equidem benefactoribus gratiam *referre* ſemper non poſſumus, ſeu gratum animum rebus declarare, quia his ſæpe deſtituimur; At gratiam *habere* ſemper poſſumus, hoc eſt gratum animum ſignis externis declarare, quia hæc, quamdiu vivimus, in noſtra ſunt poteſtate. *Ingratitudo* eſt odium benefactoris, hanc fugere obligamur. Quia eſt contraria gratitudini: Et major eſt turpitudo animi ingrati, quam inhumani, ingratus enim violat compoſitam caritatis legem, inhumanus autem tantum ſimplicem. Ob

talia

talia tamen bona, quæ nobis obvenerunt ſine ſtudio beneficentiæ, vel præter dantis intentionem, non obligamur ad gratitudinem. Quia talia bona non merentur nomen beneficii.

§ 117.

Ad hæc officia erga alios imperfecta nemo poteſt cogi phyſice. Quia ad officia imperfecta non datur coactio phyſica. Quia hæc officia fundantur in animi, & voluntatis proclivitate, in quæ coactio phyſica non cadit. Quia ſecus poſſet quis cogi ad aliquid impoſſibile, v. g. ad præſtandum beneficium, quod non habet, ſed hoc abſurdum eſt, ergo. *Niſi* hæc officia, quatenus in actibus externis poſita ſunt, in officia perfecta commutarentur, quod tripliciter fieri poteſt: 1° ſi a ſuperiore præcipiantur, 2° ſi extrema alterius neceſſitas ea depoſcat, 3° ſi quis ad ea ſe pacto obligavit. Quia tunc non jam in merito alterius habebunt rationem, ſed in ejus ſuo, ſic in primo caſu in imperio ſuperioris, in ſecundo in jure alterius ſe conſervandi, in tertio in jure alterius ex pacto aquiſito, jam autem illa officia, quæ in ſuo alterius habent rationem ſufficientem, ſunt perfecta, ad quæ jus cogendi datur.

Ex eo autem, quod ad hæc officia nemo poſſit phyſice cogi, male concluderes, inanem eſſe eorum obligationem. Quia cum neglectu eorum vera mala ſunt connexa, nimirum talis

ex-

exponit ſe periculo, ne alii jus iniquum in ipſum retorqueant, perdit bonam exiſtimationem, & quia voluntatem Dei transgreditur, in altera vita expectandas habet pœnas, ergo obligatio naturalis.

CAPUT IV.

De officiis erga alios perfectis, ſeu de juſtitia ſtricte ſumpta.

§ 118.

Dantur officia erga alios perfecta. Quia dantur obligationes erga alios perfectæ, neminem enim licet lædere, nam per læſionem non tantum non perficitur alter, ſed poſitive imperfectior redditur, atqui obligamur alios perficere, ergo a fortiori non lædere, jam autem obligationi perfectæ correlatum eſt jus perfectum, & uſus juris perfecti, eſt officium perfectum, ergo, Qui officia erga alios perfecta violat, eſt injuſtus in ſenſu ſtricto. Quia injuſtum in ſenſu ſtricto eſt, quod officiis erga alios perfectis adverſatur. Hinc in *genere* omnis ille eſt injuſtus, qui alterum lædit, ſeu in ſuum alterius involando, ſeu alterum in exercitio juris impediendo. Quia per læſionem officia erga alios per-

perfecta violantur, quod injuſtum eſt. In *ſpecie* autem injuſtus eſt. I. Qui durante ſtatu naturali arrogat ſibi imperium in alterum. Quia talis violat ſuum alterius, nempe libertatem a ſubjectione. II. Qui inter æquales factis externis prodit arrogantiam, hoc eſt affectat aliquam præcedentiam, aut prærogativam. Quia talis violat ſuum alterius, nempe jus æqualitatis. III. Qui alterum inducit in errorem. Quia talis violat ſuum alterius, nempe perfectionem intellectus. IV. Qui alterius voluntatem, & mores corrumpit, dictis, aut factis, malove exemplo quempiam ſeducit. Quia talis violat ſuum alterius, nempe perfectionem voluntatis. V. Qui alterum doloſe, vel culpoſe occidit, vel ejus ſanitatem deſtruit, vel percutit, vulnerat, aut mutilat Quia talis violat ſuum alterius, nempe perfectionem corporis. VI. Qui expugnandæ alienæ pudicitiæ aliquid attentat. Quia talis ſuum alterius violat, nempe & perfectionem animi, & corporis, interna enim pudicitia eſt perfectio animi, & externa eſt perfectio corporis.

§ 119.

VII. Injuſtus eſt, qui res alienas aufert, aut deſtruit; Quia talis ſuum alterius violat, nempe perfectionem ſtatus externi. VIII. Qui bonam alterius exiſtimationem dictis, factis, vel ſcriptis convellit. Quia talis ſuum alterius

vio-

violat, nempe perfectionem ſtatus externi: Ita etiam injuſtus eſt, qui ſine jure imputandi licet veram imperfectionem alteri in contumeliam objicit, propagat. Quia imprimis arrogat ſibi imperium in alterius actiones. Deinde bonam ejus exiſtimationem diminuit, utrumque autem injuſtum eſt, majorem autem in hoc genere committit injuſtitiam, qui alterum *calumniatur*, hoc eſt falſa vituperia in illum conjicit. Quia falſis criminibus magis læditur bona alterius exiſtimatio. Maximam vero in genere calumniandi committit injuſtitiam, qui *vaga criminatione* utitur, hoc eſt vitia generatim, & indefinite alicui aſſignat. v. g. Quod ſit impius, homo periculoſus &c. Quia talis maxime falſa vituperia in alterum conjicit, generica enim vitia non comittuntur, cum omnis actio ſit ſingularis.

Equidem ob jus connatum bonæ exiſtimationis ſimplicem tantum, & naturalem exiſtimationem alteri tribuere obligamur; *Attamen*, qui adventitiam ejus exiſtimationem convellit, injuſtus eſt, violat enim ſuum illius aquiſitum, quod injuſtum eſt.

§ 120.

IX. Injuſtus eſt, qui alterum impedit in exercitio juris ſui tametſi tantum imperfecti, v. g. qui impedit pauperem, ne poſſit petere elemoſynam. Quia talis violat ſuum alterius, exercitium enim juris, ſicut ipſum jus ad ſuum

ho-

hominis pertinet. Non eſt tamen naturaliter injuſtus, qui ab eo, cui infertur, non propulſat injuriam. Quia per id nec ſuum illius violat, nec eum impedit in exercitio juris ſui, ergo non lædit, ergo non eſt injuſtus; Et utique officiis juſtitiæ ſatisfit actione negativa, propulſare autem ab altero injuriam eſt actio poſitiva.

Sed dices: Alios juvare, ab illis malum avertere eſt obligatio naturalis. Ita, ſed obligatio tantum caritatis, & non juſtitiæ, imo nec caritatis tunc, dum inde majus malum in nos redundaret, non obligamur enim majus malum præ minori eligere, ut adeo ſuum cuique in agendo judicium relinquendum ſit partim ob libertatem naturalem, partim ne ad aliquid impoſſibile cogamur.

§ 121.

An ſit injuſtus, qui petentibus denegat officia innoxiæ utilitatis, ſciendum eſt prius, horum alia eſſe *affirmativa*, quæ in poſitione actionis conſiſtunt, v. g. monſtrare viam. Alia *negativa*, quæ ſola patientia implentur, v. g. pati, ut alter ſuam candelam ex mea accendat. Qui officia innoxiæ utilitatis affirmativa denegat, non eſt injuſtus. Quia talis tantum non perficit alterum, non enim violat ſuum illius, neque impedit in exercitio juris ſui, jam autem, qui tantum non perficit alterum, naturaliter non eſt injuſtus. Qui autem officia innoxiæ utilitatis ne-

ga-

gativa denegat, eſt injuſtus. Quia impedit alterum in exercitio libertatis naturalis, vi hujus enim quilibet homo habet jus ea faciendi, quæ nec officiis erga Deum, nec officiis erga ſe, nec officiis erga alios adverſantur, & talia hæc officia eſſe ſupponuntur, jam autem, qui alterum impedit in exercitio ſui juris, injuſtus eſt, ergo. Interea circa hæc iſta cautela eſt obſervanda: Ut non prius judicemus nobis injuriam fieri, quam alter nudæ patientiæ officium rogatus; illud nulla adducta probabili cauſa denegavit. Quia ſæpe, quæ innoxia putamus, alteri adferunt imperfectionem, ergo ceſſant eſſe officia innoxiæ utilitatis, ergo absque nota injuſtitiæ denegari poſſunt.

Non dicas autem: Præſtare officia innoxiæ utilitatis negativa eſſe virtutem, in quam non cadit coactio. Quia eſt virtus, verum non ſolius humanitatis, ſed juſtitiæ, ad quam jus cogendi datur. *Vel eſſe beneficium tantum*, cujus præſtatio arbitrio alterius relinqui debet. Quia beneficium præſtatur agendo, hoc autem conſiſtit in patiendo. *Vel hac ratione ſufferri libertatem patientis naturalem.* Quia tantum ejus licentia cohibetur, ne nos in eo, quod ſibi non nocet, nobis autem prodeſt, impediat: Si etenim declaret, ſibi talem patientiam nocivam eſſe, amplius cogere non poſſumus.

§ 122.

§ 122.

Illa regula: *Volenti non ſit injuria.* Tunc *vera eſt*, ſi agatur de juribus permiſſivis, ſeu talibus, quibus uti, vel non uti eſt liberum, v. g. debitum exigere, vel non exigere. Quia tunc velle licitum eſt, & per declarationem voluntatis jus tale ex ſuo alterius abjicitur, ergo amplius ſuum illius non violatur, jam autem per violationem tantum ſui alterius fit injuria. Tunc autem *falſa* eſt, ſi agatur de juribus ſtricte talibus, quibus nimirum renunciare non licet, v. g. Alterius licet volentis intellectum, & voluntatem corrumpere; Alterum licet conſentientem vita, pudicitia, bona exiſtimatione privare. Quia talia velle non eſt licitum, juribus enim ſtricte talibus correlata eſt obligatio immutabilis, a cujus obſervatione nemo ſe eximere poteſt, hinc ſi etiam declaret voluntatem, idem eſt, ac ſi noluiſſet, actus enim jure naturæ prohibitus eſt nullus, jam autem, qui nolentem talibus privat, eum lædit, & facit injuriam, ergo.

§ 123.

Ex omni læſione, & injuſtitia ſequitur damnum, eſt itaque *damnum* in ſenſu juris malum ex læſione ortum. Aliud eſt *phyſicum*, *fortuitum*, *caſuale*, quod independenter a libertate oritur. Aliud *morale*, quod dependen-

ter ab alicujus libertate provenit. Morale autem vel eſt *culpoſum*, quod ex defectu vincibili intellectus, vel *doloſum*, quod ex defectu vincibili voluntatis naſcitur. Item vel eſt *immediatum* ratione cauſæ, quod quis per ſe infert, & immediatum ratione modi, dum id aufertur, quod in ſuo alterius erat, vel *mediatum*, & quidem ratione cauſæ, quod quis per alium infert, ratione autem modi mediatum eſt, dum quis impeditur, ne ſuum poſſit augere. Denique vel eſt *damnum comiſſionis*, quod ex poſitione actionis prohibitæ oritur, v. g. ſuccendit quis domum, vel *damnum omiſſionis*, quod ex omiſſione actionis præceptæ oritur, v. g. obdormit quis ad ignem, quem cuſtodire deberet, & inde naſcitur incendium. Hinc illa mala, quæ quis vel ex uſu juris noſtri, vel ex neglectu caritatis patitur non ſunt damna. Quia non procedunt ex læſione. Damnum *reparare*, eſt efficere, ut læſus bona per læſionem amiſſa recuperet. Hoc duplici modo fieri poteſt, vel *reſtitutione*, dum illa ipſa res ſingularis, quæ fuit ablata, redditur, vel *ſatisfactione*, dum in locum ablatæ rei alia æquivalens ſubſtituitur. Sæpe quidem damnum reparari poteſt reſtitutione. Quia illa ipſa res extat, quæ fuit ablata, attamen ſi vitæ, vel membrorum, vel honoris facta eſt jactura, nonniſi ſatisfactio locum habere poteſt. Quia res ablata non extat, vel inutilis evaſit. Quicunque autem damnum fecit, illud reparare tene-

tenetur. Quia quamdiu damnum non reparat, tamdiu lædit, cauſa enim damni eſt læſio, ſed lædere non licet, ergo.

§ 124.

Etiam furioſi, mente capti, infantes, aliique uſu rationis deſtituiti nos lædere poſſunt, non quidem moraliter, ſed phyſice: Contra hos ſequentia habemus jura: 1° Poſſumus eos cogere, ne res noſtras auferant, vel deſtruant. Quia habemus jus ſecuritatis, ſeu jus non patiendi, ut ab altero nobis noceatur, & habemus etiam jus conatum cogendi. 2° Si autem res noſtras abſtulerunt, videndum eſt an illæ apud eos extent ſive in natura, ſive in æquivalenti, vel non extent, ſi extent in natura, poſſunt cogi ad reſtitutionem, ſi extent in æquivalenti, poſſunt cogi ad ſatisfactionem. Quia ſecus inane eſſet jus ſecuritatis. Sed ſi res ablatæ apud eos nec in natura, nec in æquivalenti extent, ad nihil obligantur: Non ad reſtitutionem, quia eſt impoſſibilis, non ad ſatisfactionem, quia non extat nec in natura, nec æquivalenti, & obligationis non ſunt ſubjectum: Tunc valet illa juris regula: *Caſus nocet domino.* Quia nemini poteſt imputari.

§ 125.

Ut juſta ſit damni reparatio debet prius damnum æſtimari, & quidem tam *immediate,*

 quæ

quæ nimirum, & quales res ſint ablatæ, quam *mediate*, quantum nempe inde habeat lucrum ceſſans. Quia niſi ita æſtimetur damnum, vel plus, vel minus recipiet læſus, quam ſit damnum illatum, jam autem utrumque injuſtum eſt, ſi enim minus recipiat, remanet ex parte læſio, ſi plus, non jam ſuum, ſed alienum quærit, & alterum lædit, ergo. Si autem plures ſit damni auctores, videndum eſt, an damnum ſint *dividuum*, ſeu tale, ut ſingulis certa damni portio poſſit aſſignari; v. g. meum cubile tres expilarunt, unus abſtulit ligneam ſuppellectilem, alter lineam, tertius libros, vel *individuum*, ſeu tale, ut non poſſit ſingulis certa damni portio aſſignari, v. g. tres domum ſuccenderunt. Si eſt damnum dividuum, tunc quilibet, quantum nocuit, tantum præſtare obligatur. Quia quicunque damnum fecit, illud reparare obligatur, ſi autem ſit individuum, tunc omnes ſimul ſumpti in *ſolidum* illud reparare obligantur, hoc eſt, ſinguli pro reliquis etiam, qui forte vel ob paupertatem, vel fugam non eſſent ſolvendo, tenentur reparare damnum. Quia omnes ſimul ſumpti damnum intulerunt, & nulli poteſt certa quantitas damni aſſignari, ſed neque poteſt lædentium conditio eſſe melior, quam læſi; Quod ſi tamen aliquis ex correis totum damnum reparet, læſus a reliquis nihil poteſt prætendere. Quia læſus non poteſt plus prætendere, quam damni ſui reparationem, ſecus ex læſo ſie-

ſieret lædens. Niſi ab illis ſibi mala iminere prævideret, tunc enim poteſt ſibi de mediis ſecuritatis, & defenſionis proſpicere. Quia hæc jura connata ſunt.

§ 126.

Tripliciter poſſunt officia erga alios perfecta cum officiis erga nos venire in colliſionem. I. Ut cum officiis erga alios perfectis confligat noſtra commoditas, & tunc non noſtram commoditatem, ſed officia erga alios perfecta debemus præferre. Sic non licet furari, ut commodius vivamus. Quia fortior eſt lex, quæ præcipit cuſtodiam officiorum perfectorum, quamque præcipit propriam commoditatem, cum neglectu enim illorum connexum eſt grave malum, videlicet jus violentiæ, & belli, non item cum neglectu propriæ perfectionis, jam autem in conflictu lex fortior debet præferri debiliori. Ex eadem ratione non licet furari diſtribuendæ inter pauperes elemoſynæ cauſa: Atque generaliter verum eſt, *Non licet cum damno alterius locupletari.* II. Ut cum officiis erga alios perfectis ſed tantum commoditatis confligat noſtra incolumitas, & tunc noſtram incolumitatem licitum eſt præferre officiis erga alios commoditatis; Sic licet in extrema neceſſitate panem ab illo, qui abundat auferre. Quia ex conſervatione vitæ majus bonum oritur, quam ex conſervatione rerum alterius ſuperfluarum, ſed in

conflictu majus bonum debet præferri minori. Deinde, qui in extrema neceſſitate petenti res neceſſarias, quæ ſibi tantum utiles, aut jucundæ ſunt, denegaret, impediret eum in jure ſe conſervandi, & quidem ſine jure, ergo læderet, ergo jus cogendi tribueret. III. Ut cum incolumitate alterius confligat noſtra incolumitas, & tunc omnia debent in eodem ſtatu permanere. Sic non licet ad ſe conſervandum panem alteri æque neceſſarium auferre; Non licet alterum etſi conſentientem occidere, ut ejus carnibus famem declinemus: Non licet naufrago alterum de tabula, quam jure tenet depellere &c. Quia in tali caſu neutra eſt fortior lex, uterque enim æqualiter ſe conſervare tenetur, ergo nulla poteſt fieri exceptio. Deinde, ſi hoc liceret, tunc jure tenens medium ſe conſervandi, haberet jus ſe conſervandi, & non haberet, haberet quia eſt connatum, & non haberet, quia alter illum licite occideret, ſed hoceſt abſurdum, ergo.

Si dicas caritatem aliud exigere, ſi ex conſervatione alterius major perfectio oriatur; Non nego, ſed pernego ad id nos vi externa cogi poſſe, coactioni enim ſola læſio facit locum, qui autem tantum non perficit alterum, vel ſi alterum impediat in exercitio ſui juris, ſed jure ſuo utens, non lædit. *Sed talis habet* jus ſe conſervandi, qui ſecus neceſſario peribit. Verum mediis licitis, quæ ſi deſint, neceſſitas non habet legem. *Sed extant exempla non punitorum talium.*

Ita,

Ita, ſed exempla jus non faciunt, neque a foro humano valet conſequentia ad divinum, ſecus furtum, duellum affirmabis licitum, ſæpe enim in his gratia legis intervenit.

CAPUT V.

De officiis circa ſignificationem mentis.

§ 127.

Mentem declarare, ſeu loqui generatim, eſt actionem internam, veluti cogitationem, volitionem alteri notam facere. Qui mentem ſuam vult declarare, debet aliqua ſigna externa adhibere. Quia homines non poſſunt aliter interna alterius cognoſcere, quam ex ſignis externis, Et quidem talia ſigna externa debet adhibere, quæ & actionibus internis illius, qui eas ſignificat, & actionibus internis illius, cui hæc ſignificatio ſit, reſpondeant; Quia ſecus non intelligetur, ergo recedet a fine naturali ſermonis, quod non licet. Hinc vocabula debent ſumi in communi uſu loquendi. Quia ſecus non intelligemur, imo audientem vel ludificamus, quod juribus æqualitatis adverſatur, vel inducimus in errorem, quod perfectioni intellectus repugnat. Mentis declaratio alia eſt *expreſſa*, quæ fit ſignis

externis determinatis, uti ſunt verba, ſcriptura, manuloquium, tympana, campanæ &c. Alia *tacita*, quæ fit ſignis externis indeterminatis, hoc eſt talibus, ex quibus habita loci, temporis, & aliorum adjunctorum ratione agentis intentio probabiliter colligitur, v. g. Ex nigris veſtibus luctus. Circa locutionem hoc eſt generale officium hominum: 1° Ut toties loquantur, quoties ſine locutioe non poſſunt vel Dei cultum, vel ſui, vel aliorum perfectionem promovere. Quia tunc locutio eſt medium neceſſarium ad finem hominis obtinendum, ſed qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media neceſſaria. 2° Ut taceant, ſi locutio vel Dei cultui, vel propriæ, vel aliorum perfectioni adverſaretur. Quia tunc locutio eſt impedimentum obtinendi finem hominis, jam autem, qui obligatur ad finem, obligatur removere impedimenta. Hinc *ſilentium*, ſeu intermiſſio locutionis, jam eſt virtus taciturnitatis, ſi nimirum non loquamur, quando loqui eſt prohibitum. Quia tunc per ſilentium cuſtodimus legem: Jam eſt vitium reticentiæ, ſi videlicet non loquamur, quando loqui eſt præceptum. Quia tunc per ſilentium violamus legem. Sic etiam *diſſimulatio*, ſeu ocultatio actionis externæ, quæ proderet internam, tunc licita eſt, quando loqui eſt prohibitum; illicita autem, quando loqui eſt præceptum. Quod ſi diſſimulatio in abſtracto ſpectetur, nec bona eſt,

nec

nec mala moraliter. Quia omnis actio in abſtracto conſiderata eſt moraliter indifferens.

§ 128.

Ut medacium intelligamus, debemus ſcire, quid ſit veritas, & falſitas tam logica, quam moralis. *Veritas logica*, eſt convenientia ideæ cum objecto; *Veritas moralis*, eſt convenientia verborum, aliorumque ſignorum externorum cum mente. Quia veritas eſt vacuitas a repugnantia. *Falſitas autem logica*, eſt diſconvenientia ideæ cum objecto; Falſitas moralis eſt diſconvenientia verborum, aliorumque ſignorum externorum cum mente. Quia falſitas eſt rerum inter ſe repugnantia. Hinc ſermones alii ſunt veri, ſeu *veriloquia* alii falſi, ſeu *falſiloquia*, & quidem ſermones veri tam logice, quam moraliter veri, ſi nimirum verba & objecto, & menti ſint conformia, ſermones autem falſi tam logice, quam moraliter falſi, ſi verba nec objecto, nec menti ſint conformia: Sed etiam fieri poteſt, ut ſermo ſit moraliter verus, logice tamen falſus, quando videlicet ita loquor, ſicut cogito, ſed erroneam habeo objecti cognitionem, & viciſſim fieri poteſt, ut ſermo ſit moraliter falſus, logice tamen verus: ſi quidem aliter loquar, quam cogitem, attamen locutio mea conformis ſit objecto. Quia verba cum mente, & mens cum objecto non ſunt neceſſario connexa. Hinc poteſt quis falſum narrare, & tamen non

mentiri, & viciſſim. Omnia veriloquia ſunt actiones ſinceræ. Quia actio ſincera eſt actio externa, quæ cum interna conſentit, hoc autem eſt in veriloquio. Omnia vero falſiloquia ſunt actiones ſimulatæ. Quia actio ſimulata eſt actio externa, quæ cum interna non conſentit, quod ſit in falſiloquio. *Ceterum* ſimulatio ſit vel verbis, vel factis; ſi fiat verbis, vocatur falſiloquium morale, ſi factis, dicitur in ſenſu ſtricto ſimulatio.

§ 129.

Mendacium eſt locutio contra mentem cum intentione alterum in errorem inducendi. Itaque duo ſunt ejus requiſita; locutio contra mentem, & intentio alterum in errorem inducendi. Hinc locutio contra mentem ſine intentione alterum in errorem inducendi non eſt mendacium, v. g. ſi furioſis, infantibus in eorum emolumentum, vel iis, quibus prædiximus nos falſa narraturos, loquamur contra mentem, verum talis locutio vocatur falſiloquium morale ſimplex, ut diſtinguatur a mendacio, quod etiam eſt falſiloquium morale, ſed compoſitum, ſiquidem conſtat ex locutione contra mentem, & ex intentione alterum in errorem inducendi. Mendacium ratione effectus aliud eſt *perniencioſum*, quod ad alterius injuriam dirigitur, aliud *officioſum*, quod in propriam, vel alterius utilitatem committitur, alind *jocoſum*, quod jucunditatis cauſa profertur. Omne autem mendacium eſt prohibitum. Quia

omne

omne mendacium eſt imperfectio, eſt enim diſcordia actionis externæ cum interna, ſed omnis imperfectio eſt prohibita, deinde, omne mendacium eſt læſio audientis, inducit enim eum in errorem, ſed omnis læſio eſt prohibita. In ſpecie vero mendacium *pernicioſum* ideo eſt prohibitum, quia omnis aliorum injuria eſt prohibita; *Officioſum* ideo, quia mediis illicitis nec ſuam, nec alienam licet promovere utilitatem. *Jocoſum* denique ideo, quia jucunditas, riſus, oblectatio cum ſui, & aliorum imperfectione facta eſt actio temeraria, & ſine fine honeſto, omnis autem talis actio eſt prohibita.

Wolfius definit mendacium eſſe locutionem contra mentem cum damno alterius conjunctam, *alii vero* eſſe locutionem contra mentem iis factam, quibus veritatem aperire obligamur. Verum utraque hæc definitio deficit, ſecus enim extra hos caſus liceret a fine ſermonis, a fine rerum a Deo creatarum recedere, quod falſum eſt.

§ 130.

Allegoria eſt ſermo metaphoricus, ſeu talis, qui conſtat verbis a propria ſignificatione ad alienam translatis ob ſimilitudinem; Huc referuntur ſabulæ, apologi, & aliæ ſiguratæ locutiones. *Verba ambigua* ſunt ſermones, qui ex communi uſu loquendi plures admittunt ſignificationes, *ſimulationes* ſunt facta ambigua, ſeu

talia

talia, quæ variam patiuntur interpretationem. His tunc licet uti, quando non obligamur clare loqui, & reſponſum humaniter declinare non poſſumus. Quia dum non obligamur clare loqui nec obligamur facta, & vocabula in communi uſu loquendi ſumere: Et fieri poſſet, ut clara locutio interroganti nihil, aut parum commodi adferat, nobis autem, vel aliis detrimento ſit, ſed in conflictu majus malum minori non debet præferri: Non licet vero tunc, quando adeſt obligatio clare loquendi. Quia nos exponeremus periculo violandi obligationem clare loquendi, quod non licet.

Forte objicies iſta eſſe mendacia, ſi quidem 1° ſunt locutiones contra mentem, 2° per ea alter inducitur in errorem. Verum non ſunt mendacia, non enim ſunt locutiones contra mentem, nam cum plures habeant ſignificationes habent & illam, quæ eſt in mente loquentis, ſi vero alter eas aliter intelligat, non eſt culpa loquentis, ſed audientis.

§ 131.

Quæritur an in conflictu ad conſervandum alterum licitum ſit mentiri? V. g. quærit aliquis ad mortem Cajum, quem ego abſcondi in meo cubili, ſed adeſt perſecutor, & interrogat, an Cajus apud me ſit, ego vero non ſum par reſiſtendo, neque verbis ambiguis, & indirectis eum a propoſito dimovere poſſum, an ſit lici-

tum-

tum dicere: Non eſt apud me? In reſponſione ad hanc quæſtionem tres ſunt ſententiæ: I. Eſt eorum, qui dicunt eſſe licitum ideo, quia talis locutio contra mentem non eſt mendacium, ſed tantum falſiloquium morale ſimplex, deeſt enim animus fallendi. II. Eſt eorum, qui dicunt illam locutionem eſſe medacium, ſed licitum. III. Denique eſt eorum, qui hoc mendacium eſſe illicitum contendunt. Jam *prima* ſententia ſuſtineri non poteſt. Quia qui in dicto caſu loquitur contra mentem, hoc vult, ut alter diverſam a mente loquentis concipiat opinionem, ergo habet intentionem eum in errorem inducendi, ergo mentitur.

Dicunt quidem: Perſecutorem obligari conſentire in falſam locutionem utpote minus malum, illis autem loqui contra mentem, qui in falſam locutionem conſentiunt, non eſſe mendacium. Sed hoc ſophisma eſt, ex obligatione enim ad conſenſum argumentantur ad actualem conſenſum: Nonne iſte perſecutor obligatur non perſequi innocentem? & tamen non valet conſequentia: ergo non perſequitur. *Sed in dicto caſu* loquens contra mentem non intendit alterum fallere, ſed ad mortem quæſitum conſervare. Si intelligant intentionem primariam, concedo, ſi etiam ſecundariam excludant, nego: Utique per inductionem in errorem vult alterum conſervare, & intentio ſecundaria etiam imputatur. Deinde, ſi hæc ratio excuſaret a men-

mendacio, tunc nullum daretur officioſum, poſſet enim dici, ego tantum meam, vel alterius utilitatem volebam promotam.

§ 132.

Sed neque *ſecunda* defendi poteſt, quia probabilior eſt *tertia* ſententia: Non eſſe licitum in dicto caſu mendacium. 1° Quia in omni conflictu lex fortior debet debiliori præferri, jam autem fortior eſt lex, quæ prohibet mendacium, quam lex, quæ prohibet non conſervare alterum ex duplici argumento: *Primum* ideo, quia mentiendo committitur injuſtitia, in errorem enim inducitur audiens, non conſervando alterum committitur tantum iniquitas. *Deinde* mentiendo obſcuratur gloria Dei, ponitur enim actio directe adverſans veracitati divinæ, non conſervando autem alterum, tantum non illuſtratur gloria Dei, jam autem nulla eſt fortior lex, quam quæ poſitivam Dei gloriæ obſcurationem prohibet, ideo ſi una blasphemia poſſem decem alios conſervare, blasphemare tamen non liceret. 2° Quia ſecus via aperiretur mendaciis, tunc enim homines ita ratiocinarentur: ſi licet ob conſervationem alterius mentiri, utpote majus bonum, licebit etiam ob majorem ſive propriam, ſive alienam utilitatem, & ſic fortiſſimum humanæ ſocietatis vinculum diſcinderetur, nemo enim alteri crederet, quod abſurdum eſt. 3° Quia eſt ineſſicax medium alterum conſer-

vandi, aggreſſor enim non credet mentienti, præſertim ſi ipſe judicet in ſimili caſu licitum eſſe mentiri.

Secundæ ſententiæ propugnatores ſequentia objiciunt argumenta: 1° Fortior eſt lex, quæ hominem vult ſervari incolumem, quam quæ alterum in errorem induci vetat. Verum duo hic officiorum conflictus ſunt diſtinguendi: Alter reſpectu aggreſſoris, alter reſpectu loquentis. Reſpectu *aggreſſoris* vel erroneam habere cognitionem de præſentia hominis ad mortem quæſiti, vel illum occidere, jam habere caſu erroneam cognitionem eſt minus malum, ſæpe nullum malum morale, alterum vero occidere ſemper eſt majus malum, & quidem morale, ſed de hoc non eſt ſermo. Reſpectu *loquentis*, vel mentiri, vel ſinere alterum occidi, quo in caſu quia mendacium eſt actio injuſta, & poſitiva obſcuratio gloriæ Dei, & ſinere alterum occidi tantum actio iniqua, & tantum non illuſtratio gloriæ Dei, ideo fortior eſt lex, quæ alterum in errorem induci vetat, quam quæ hominem vult ſervari incolumem. 2° In dicto caſu mentiri non eſt obſcurare gloriam Dei, nihil enim committitur, quod aliquam de Deo imperſectionem aſſereret, imo per conſervationem alterius manifeſtantur perfectiones divinæ. *Negatur*, nam obſcurare gloriam Dei eſt ponere actionem divinis perfectionibus repugnantem, jam autem mendacium repugnat divinæ veracitati, utique

etiam

etiam ille obſcurat Dei gloriam, qui quidem agnoſcit Dei providentiam, & ideo otio torpeſcit, quia ſuo facto negat aliam Dei perfectionem, videlicet ſapientiam. 3° Amputare ſibi brachium eſt natura ſua turpe, ad conſervandam tamen vitam licitum, ergo etiam: Diſpar ratio eſt, nam amiſſio brachii relate ad amiſſionem vitæ ob conflictum evadit minus malum, mendacium autem etiam in conflictu ad conſervandum alium, manet majus malum utpote actio injuſta, & ad obſcurationem gloriæ Dei directe tendens, quam non obſcurare obligamur ſemper & pro ſemper. 4° Per hanc ſententiam via mendaciis non aperitur; Licet enim doceatur licitum eſſe injuſtum vitæ aggreſſorem occidere, & in extrema neceſſitate res alienas auferre, propterea tamen ad promiſcuas cædes, & furta via non aperitur, ergo etiam. Diſparitas eſt hæc: Contra cædes, & furta dantur efficacia remedia poſſunt præviderі, aut ſaltem præcaveri, non item mendacia, quæ in internis conſiſtunt, & ideo illa nemo hominum perſpicere poteſt. 5° In ſacris litteris obſtetrices ægyptiacæ Exod. 1. Et mulier Rahab Joſue. 2. ob tale mendacium præmiatæ ſunt. Nequaquam, nam dictæ obſtetrices præmiatæ ſunt, quia timuerunt magis Deum quam hominem, Rahab vero, quia ipſi incolumitas juramento fuit promiſſa ab exploratoribus, quos abſconderat.

§ 133.

§ 133.

Fuere, qui, ut hiſce difficultatibus occurrerent, excogitarunt: I. *Reſervationes mentales*, quæ duplices ſunt, *internæ, ſeu pure mentales*, hoc eſt ſermones, qui tunc primo verum ſenſum habent, ſi vocabula in mente retenta iis adjiciantur, v. g. ſi interroger, an aliquas litteras ſcripſerim, & reſpondeam, non, ſub intelligendo Budæ, cum eas Poſonii ſcripſerim; Et *externæ, ſeu non pure mentales*, id eſt ſermones, quos ex natura negotii, vel aliis ſignis ſenſibilibus acutus auditor intelligere poteſt. Verum hi magna minati, extricarunt nihil, reſervationes enim pure mentales ſunt mendacia: Quia ſunt locutiones contra mentem, aliud enim dicitur, & aliud cogitatur, & adeſt intentio alterum in errorem inducendi, ideo enim aliqua vocabula in mente retinentur, ut audiens diverſam a mente loquentis concipiat opinionem, jam autem ubi hæc duo adſunt, ibi eſt mendacium. Reſervationum autem non pure mentalium ea eſt moralitas, quæ verborum ambiguorum; Quia reipſa ſunt ſermones ambigui II. Ut, ſi quis a tali interrogetur, cui reſponſum honeſte non poteſt denegare, reponat ſe non ſcire, ſubintelligendo: *ſcientia communicativa*, vel petenti mutuas pecunias reſpondeat, ſe non habere, ſubintelligendo, ut eas mutuo det. Etiam hæc reſponſio eſt mendacium. Quia eſt reſer-

vatio pure mentalis, tunc enim primo verum ſenſum haberet, ſi vocabula in mente retenta eidem adjicerentur, ſed reſervationes pure mentales ſunt mendacia. III. Quod vocabula in tali caſu nullam habeant ſignificationem, ſi quidem ſignificatio verborum non ab eorum natura habetur, ſed a conſenſu hominum, qui in tali rerum ſtatu præſumuntur voluiſſe, ut nihil ſignificent; ſed etiam iſti male: Quia malitia moralis non conſiſtit in phyſico verborum ſono, ſed in voluntate fallendi, quæ adeſt; Atque ideo adeſt mendacium. Quia adeſt locutio contra mentem, adeſt voluntas fallendi, ergo mendacium.

CAPUT VI.

De Dominio, ejusque aquirendi modo ſimpliciter originario, ſeu occupatione.

§ 134.

Jus rerum proprium, eſt jus, quod alicui in res certas ita competit, ut ab iis omnes alios poſſit excludere, differt a jure rerum abſoluto: Quia hoc fluit ex natura humana abſolute ſpectata, illud ex facto, jus rerum abſolutum eſt indeterminatum, nulli certæ rei inhærens, jus

vero

vero rerum proprium eſt determinatum. Natura non datur jus rerum proprium, ſed omnes res ſunt nullius, hoc eſt in *communione negativa*, quæ eſt ſtatus, in quo omnibus hominibus æquale jus competit in res omnes ſine excluſione aliorum. Quia naturaliter omnes homines æqualia habent jura. In communione negativa ſequentia jura habebant homines. I. Quilibet habuit jus in omnes res, ſed ſine aliorum excluſione. Quia nemo habuit jus rerum proprium. II. Quilibet habuit jus non tantum in res ſponte natas, ſed etiam in res induſtria productas. Quia nemo habuit jus rerum proprium, & omnes obligabantur ſe mutuo perficere, jam autem ad perfectionem hominis pertinent res. III. Quilibet habuit jus rebus iſtis utendi. Quia jus ſine exercitio inutile eſt. IV. Quilibet habuit jus res neceſſarias apprehendendi, eſt autem *rem apprehendere*, illam in ſuas vires phyſicas ita redigere, ut uſui poſſit ſervire cum aliorum excluſione. Quia quilibet habuit jus ſe conſervandi, quod ſine rebus neceſſariis obtineri nequit.

Equidem ante apprehenſionem omnes habebant æquale jus in omnes res, ſed per apprehenſionem unius, alterius jus inutile effectum eſt, atque in pari cauſa melior fuit conditio poſſidentis, qui etenim talem re apprehenſa privare voluiſſet, impediviſſet in exercitio juris ſui, quod lædere eſt, & non licet.

§ 135.

Quod autem homines a communione negativa receſſerint, & jus rerum proprium introduxerint, naturalis ratio fuit, quod apud negligentes, & otioſos refrixerit amor mutuus, & legum naturalium cuſtodia. Quia aucto humano genere ſponte nata non ſufficiebant omnibus, ergo, ut ſe homines conſervent, & perficiant, neceſſaria erat major cultura ad res induſtriales & artificiales producendas, ſed otioſi nihil laborabant, imo diligentium res auferebant, ergo debebant diligentes varias res in uſus futuros cum excluſione aliorum apprehendere, ſeu occupare. Eſt vero *occupatio*, apprehenſio rei nullius animo ſibi habendi ut propriam. Cujus hæc ſunt requiſita: I. Ut ſit res nullius. Quia rem alterius ſola occupatione noſtram facere non poſſumus, ſecus illum læderemus. II. Ut aliquod factum intercedat. Quia ex natura nulla res externa eſt alicui propria III. Ut illud factum ſit ſufficiens rem in vires phyſicas redigendi, ſeu phyſice poſſidendi. Quia ſecus re illa nec uti, nec alios excludere poſſemus. IV. Ut declaremus voluntatem rem illam nobis ut propriam habendi, ſeu juridice poſſidendi. Quia ſecus res illa manebit, ut ante fuit, nullius. Hinc poſſeſſio rei, ſeu detentio, alia eſt *phyſica*, alia *juridica*. Dominium eſt jus de rei ſubſtantia, & ejus conſectariis pro arbi-

trio

trio diſponendi. Hoc originarie per occupationem eſt introductum. Quia facta occupatione alii a re tali debebant abſtinere, ſecus læſiſſent, & occupans habuit jus illa pro arbitrio ſuo utendi cum excluſione aliorum, atqui tale jus eſt dominium, ergo. Hinc Dominium bene dicitur: *Jus in re, jus reale*,. quia fundatur in ipſa re, *quod perſonæ competit in re ſine reſpectu ad aliquam perſonam.* Quia ab illa omnes alii debent abſtinere, & dominus ab illa omnes alios poteſt excludere.

§ 136.

Communio poſitiva, ſeu condominium eſt, dum in eadem re pluribus æquale jus competit cum excluſione aliorum: Hoc originarie obtinetur, ſi plures eandem rem ſimul occupent. Communio autem mixta eſt, dum plures eandem rem poſſident, ſed nemo ex illis pluribus habet jus proprium, habet tamen tota univerſitas, quæ reliquos, qui non ſunt de ſocietate poteſt excludere, uti fieri aſſolet in monaſteriis. Itaque in communione *negativa* nemo habet jus rerum proprium, in *poſitiva*, quilibet ſocius habet partem juris proprii, in mixta ſola univerſitas. Ad omne dominium duo requiruntur, *titulus*, & *modus* aquirendi. Titulus eſt ratio, ex qua juſtitia aquiſitionis intelligitur; Modus autem eſt medium aptum, & ſufficiens rem aliquam in vires phyſicas redigendi: v. g. Aqui-

ſiti equi per emptionem titulus eſt emptio, modus traditio. Modus aquirendi alius eſt *originarius*, dum res nullius aquiritur, alius *derivativus*, dum res aquiritur, quæ eſt alicui propria. Hinc ab initio titulus dominii fuit jus connatum res nullius occupandi, ſeque conſervandi. Quia ex hoc juſtitia aquiſitionis intelligitur, quod titulus eſt, Modus autem ipſe actus occupationis. Quia occupatio fuit medium aptum, & ſufficiens rem nullius in vires phyſicas redigendi, quod modus aquirendi eſt, & quidem occupatio eſt modus originarius aquirendi ſimpliciter talis. Quia per eam ſolam res nullius aquiruntur, tales enim non poſſunt aquiri ab aliis, quia nulli ſunt propriæ, neque a natura, quia natura non datur jus rerum proprium.

§ 137.

Ex dictis ſequentes deducuntur veritates: I. Ille tantum poteſt alicujus rei fieri dominus per occupationem, qui illam & phyſice, & moraliter poteſt, & ſimul vult aquirere. Quia ad dominium requiritur modus, id eſt potentia phyſica, requiritur titulus, id eſt potentia moralis, & requiritur poſſeſſio juridica, id eſt declaratio voluntatis rem ſibi habendi propriam, ergo. II. Occupantium prior tempore eſt potior jure. Quia uterque quidem in res nullius æquale jus habet, ſed prior per occupationem inutile reddit jus alterius. III. Res a nobis occupatæ, &

ipſum

ipſum rerum dominium pertinent ad τω noſtrum. Quia ſine læſione nobis auferri non poſſunt. IV. Dominium rerum non eſt jus connatum, ſed hypotheticum. Quia non ex ſola natura, ſed ex facto intelligitur. V. Introducto dominio ceſſavit pars ſtatus naturalis originarii. Quia ceſſavit communio negativa, acceſſit jus rerum proprium, & aliqua invaluit inæqualitas, alii enim plus poſſidebant, alii minus.

Quibus hæc origo dominii non placet, eam repetunt a communi conſenſu hominum, ſecus enim inviti fuiſſent privati jure, quod in communione negativa habebant in res omnes. Verum dum quis in illa primæva communione res occupavit nullius, uſus eſt jure ſuo ſe conſervandi, & neminem læſit, jam autem dum quis jure ſuo utens alium non lædit, non debet ejus conſenſum exquirere. *Sed dicunt:* hac ratione potuiſſet aliquis multa occupare, quibus alii ſine læſione carere non potuiſſent. Iſte eſt inanis metus, quia imprimis nemo unus habuit tantas vires phyſicas, ut potuiſſet multa occupare, deinde ſi quis ita multa occupaſſet etiam, ut aliis res neceſſariæ defuiſſent, debuiſſet his neceſſaria extradere, jus enim dominii juri connato ſe conſervandi obeſſe nunquam poteſt. *Grotius autem, & Puffendorfius* modum aquirendi originarium diviſionem faciunt. Nos negamus. Quia diviſio ſupponit communionem poſitivam, ab origine autem vigebat communio negativa.

§ 138.

Occupari poſſunt I. Res nullius, quo pertinent etiam res a domino derelictæ, ſeu tales, quas dominus non vult amplius in τῳ ſuo habere. Quia tunc nullius ſuum violatur. II. Res quæ nobis uſui eſſe poſſunt. Quia ſecus ſine ratione fieret occupatio, finis enim occupationis eſt noſtri conſervatio. III. Res exhauſti uſus, ſeu tales, quæ uſu conſumuntur. Quia in rebus inexhauſti uſus ſine ratione fieret occupatio, tales enim nunquam deficiunt. IV. Res, quæ apprehendi, & cuſtodiri poſſunt. Quia ſecus inanis eſſet occupatio, non enim poſſemus alios ab uſu rerum excludere. Et quidem res tam animatas, quam inanimatas, ſive ſint mobiles, ſive immobiles. Quia uſum nobis præſtare poſſunt Sic poſſunt bruta occidi, & in cibum converti. Quia nobis cum brutis nulla eſt juris communio. In ſpecie piſces occupamus *piſcatione*, feras ſilveſtres *venatione*, aves *aucupio*. Res mobiles ſunt, quæ ſalva ſubſtantia de loco in locum transferri poſſunt, has occupamus inventione. Res immobiles ſunt, quæ ſalva ſubſtantia de loco in locum transferri non poſſunt; Tales occupantur, ſi quis fundum ingrediatur, vel ponat metas, vel excolat. Non eſt tamen opus ſingulas glebas circumambulare. Quia his factis ſufficienter declaratur voluntas rem illam ſibi ut propriam habendi, quod ad occupationem ſufficit.

§ 140.

§ 139.

Occupari autem non poſſunt: I. Homines. Quia non ſunt res, ſed perſonæ, neque ſunt nullius, ſed ſui juris, habent enim libertatem a ſubjectione. II. Res jacentes juridice, ſeu tales, quæ quidem in nullius actuali dominio ſunt; aliquis tamen in illas jus præ aliis habet, v. g. theſaurus latens in fundo alieno. Quia non ſunt nullius. III. Res a domino nunquam derelictæ, v. g. bona naufragorum, res perditæ, vel fugitivæ, dummodo poſſint cognoſci. Quia non ſunt nullius. IV. Res inexhauſti uſus, & quæ non poſſunt cuſtodiri, uti eſt Oceanus, ſol, aer. Quia ideo occupamus res, ne nobis neceſſariæ deſint, & ut ab earum uſu valeamus alios excludere, atqui hoc non obtinet in rebus inexhauſti uſus, & quæ cuſtodiri non poſſunt. Hinc talia in communione negativa ſunt, niſi forte de parte, quæ apprehendi potuit, ſermo ſit.

CAPUT VII.

De effectibus dominii, ſeu de juribus & obligationibus, quæ ex dominio naſcuntur, & acceſſione.

§ 140.

Generalis dominii effectus eſt: Quod I. Dominus poſſit in re ſua omnes tam phyſice, quam moraliter poſſibiles actus ponere. Quia habet libertatem naturalem, & dominium eſt jus de rei ſubſtantia, & ejus confectariis pro arbitrio diſponendi. II. Quod nemo poſſit dominum in exercitio horum jurium turbare. Quia læderet, quod non licet. III. Quod omnis, qui domino damnum facit, illud reparare obligetur. Quia ex lege naturali, qui damnum alteri infert, tenetur illud reparare. Hinc tria præcipua domini jura derivantur: 1° Quod poſſit rem ſuam phyſice, & juridice poſſidere. Quia poteſt in re ſua omnes tam phyſice, quam moraliter poſſibiles actus ponere. 2° Quod poſſit ex re ſua omne emolumentum percipere. Quia emolumentum eſt rei confectarium, ſed dominus poteſt de rei ſuæ confectariis diſponere. 3° Quod ſe poſſit rei ſuæ poſſeſſione, aut dominio, ſive toto, ſive pro parte abdicare. Quia poteſt de rei ſuæ ſub-

ſubſtantia, ejusque conſectariis pro arbitrio diſponere.

§ 141.

Ex jure poſſeſſionis habet dominus ſpecialia jura: Quod poſſit a re ſua alios excludere, illis omnem actum circa eandem rem interdicere; Rem ſuam tueri, amiſſam ab omni detentore repetere, & ſi quis illam in ignorantia invincibili eſſe alienam detineret, *vindicare*, hoc eſt probato dominio repetere. Quia iſti actus conſervant poſſeſſionem rei tam phyſicam, quam juridicam, & dominium eſt jus reale, ergo competit ſine reſpectu ad perſonam. *Ex jure autem omne emolumentum percipiendi*, habet ſpecialia jura: Quod poſſit re ſua *uti*, hoc eſt, id, quod neceſſitas poſcit, percipere, re ſua *frui*, hoc eſt, quidquid ex illa provenit, in ſuam utilitatem convertere, & jucunditatem, & ideo etiam meliorare, vel plane *ſpecificare*, ſeu in aliam formam transferre, v. g. ex farina panem coquere. Quia hoc eſt emolumentum ex re proveniens. *Denique ex jure illo*, quod dominus ſe rei ſuæ dominio poſſit abdicare, habet ſpecialia jura: Quod poſſit rei ſuæ *proprietatem*, *ſeu dominium directum*, hoc eſt jus in ſolam ſubſtantiam in alios transferre. Quia poteſt de rei ſuæ ſubſtantia diſponere, vel *dominium utile*, hoc eſt jus in ſola conſectaria in alios transferre. Quia poteſt de rei ſuæ conſectariis diſponere.

Sed

Sed etiam poteſt *dominium plenum*, hoc eſt jus in ſubſtantiam, & conſectaria in alios transferre. Quia de utroque poteſt pro libitu diſponere. Præterea poteſt in re ſua conſtituere *ſervitutem*, hoc eſt jus, vi cujus dominus aliquid in re ſua pati, vel non facere teneatur in utilitatem alterius, v. g. jus eundi per fundum alienum. Quia poteſt juribus ſuis permiſſivis renunciare. Denique pro foro externo poteſt etiam rem ſuam deſtruere, & ea abuti. Quia neminem lædit, ergo contra juſtitiam ſtricte talem nihil agit: Hoc tamen non poteſt facere pro foro interno. Quia non licet ſe inhabilem reddere ad ſe, & alios perficiendos, hoc enim officiis erga ſe, & officiis erga alios imperfectis adverſatur.

§ 142.

Furtum eſt fraudulenta rei alienæ ablatio invito domino animo ſibi habendi ut propriam. *Rapina* eſt furtum violentum, *invaſio* eſt factum, quo quis poſſeſſione rei ſuæ immobilis dejicitur. *Defraudatio* eſt omne damnum dolo, vel culpa alteri illatum. Ab his abſtinere debemus. Quia ſunt læſiones. Atque ex hujusmodi factis proveniens damnum auctor obligatur vel reſtitutione, vel ſatisfactione reparare. Quia quicunque damnum infert, tenetur illud reſarcire. Sic etiam ex juſtitia obligamur rem alienam caſu ad nos delatam domino reſtituere, uti etiam rem alienam a tertio, ſed nobis conſulentibus,

ocul-

ocultatam domino manifeſtare. Quia ſecus eſſemus cauſa moralis damni. At ſi noſtrum animal absque noſtra culpa rem alterius deſtruat, neque damnum reparare, neque animal extradere obligamur. Non damnum reparare, Quia nobis imputari non poteſt, ergo eſt caſuale, ſed caſus nocet domino. Non animal extradere. Quia damnum reparare non obligamur: Et eſt in hoc caſu par utriusque cauſa, dominus enim rei agit de damno reparando, & de eodem vitando agit dominus animalis, jam autem in pari cauſa melior eſt conditio poſſeſſoris.

Fruſtra allegas jus civile romanum. Quia illud præſumebat ſemper interceſiſſe negligentiam domini animalis, in jure autem naturæ non ex præſumptionibus, ſed ex veris factis fit imputatio.

§ 143.

Quod ſi quis ad extremam neceſſitatem deveniat, nec aliter poſſit malum imminens evitare, licitum eſt domino etiam invito res auferre, deteriorare, v. g. res alienas in mare projicere ad levandam navim, orto incendio vicini tectum diſſipare, ad defenſionem arma alteri eripere. Quia tunc confligunt officia erga ſe neceſſitatis cum officiis erga alios tantum commoditatis, quo in conflictu licitum eſt officia erga ſe præferre officiis erga alios, neque enim jus hypotheticum dominii poteſt juri con-

nato ſe conſervandi præjudicare. Inconcinne tamen hæc actio licitum furtum, vel licita rapina vocaretur. Quia furtum, rapina ex communi uſu loquendi denotant actionem illicitam. Interea huic juri extremæ neceſſitatis ipſa natura ſequentes poſuit limites: I. Si dominus alia via paratus eſt malum a nobis avertere, iſta facere non licet. Quia non eſt extrema neceſſitas. II. Si ipſe dominus eadem neceſſitate laboret, hoc jure uti non licet. Quia tunc confligit incolumitas unius cum incolumitate alterius, quo in conflictu debent omnia in eodem ſtatu manere. III. Si ſufficiat uſus non datur jus in ſubſtantiam rei. Quia jus hoc oritur ex neceſſitate, ergo etiam ex neceſſitate accipit menſuram. IV. Ceſſante neceſſitate debet fieri rei ablatæ reſtitutio, vel ſatisfactio. Quia ceſſante ratione ſufficiente ceſſat rationatum, ergo qui ceſſante neceſſitate rem detinet, lædit, infert damnum, quod reparari debet.

Grotius putat in tali conflictu redire res ad communionem negativam, in qua, quod quis apprehendit. non tenetur reſtituere. Verum hoc figmentum eſt, ſecus enim etiam alii idem poſſent occupare; Sed dato etiam, non conceſſo, ceſſante neceſſitate hæc quoque communio debet ceſſare. *Neque urgeas.* Qui rem jure accipit, non tenetur eam reſtituere. Quia hoc generaliter non eſt verum, nam commodatarius jure accipit rem, & tamen eandem obligatur reddere.

§ 144.

§ 144.

Acceſſio eſt incrementum, quod aquirit res in dominio alicujus exiſtens. Alia eſt *naturalis*, ſi incrementum fiat ſolius naturæ beneficio. Alia *induſtrialis*, ſi incrementum fiat facto hominis. Alia *mixta*, ſi incrementum fiat a natura ſimul. & facto hominis. Naturalis acceſſionis ſpecies ſunt: I. Fætura, ſeu fructus animalium, uti vituli vaccarum. II. Alluvio, dum aliquæ particulæ terræ beneficio aquæ defluentis ſenſim, ſine ſenſu alicui ſundo adjiciuntur. III. Vis fluminis, quando impetus aquæ majorem terræ portionem alicui fundo advolvit. IV. Inſula, ſeu nova terra in fluvio repente comparens. V. Alvei mutatio, hoc eſt illa terræ portio, quam fluvius alio divertens, ſiccam relinquit. Circa iſtam ſequentes ſunt regulæ: 1° Omne incrementum, quod rei noſtræ naturaliter accedit ex re noſtra, totum eſt noſtrum, uti inſula, vituli vaccarum, alvei mutatio. Quia tale incrementum eſt conſectarium, pars rei noſtræ, ſed qui eſt dominus totius, eſt etiam partis. 2° Incrementum, quod naturaliter accedit rei noſtræ ſed ex re aliena, vel ſcimus, cujus ſit, uti in vi fluminis, & tunc debemus illi reſtituere, ſecus illum læderemus, vel non ſcimus cujus ſit, uti in alluvione, & tunc eſt noſtrum: Quia habetur pro re nullius, qualis primi occupantis eſt.

§ 145.

Induſtrialis acceſſionis tres ſunt ſpecies: I. Adjunctio, dum duo corpora ſimul componuntur, quod fit ſeptem diverſis modis: Vel *incluſione gemmæ*, ut ſi annulo meo inſeratur lapis alienus. Vel *intextura purpuræ*, ſi meæ veſti intexatur filum alterius aureum. Vel *inædificatione*, ſi quis in fundo alieno ex ſua materia, vel in fundo proprio ex materia aliena ædificet. Vel *adferruminatione*, ſi metalla ejusdem generis nulla alia interveniente materia coagmententur. Vel *adplumbatura*, ſi duæ diverſi generis res mediante alia quadam ab ipſis diverſa materia conſolidentur; Vel *pictura*, ſi pingam in tabula aliena. Vel *ſcriptura*, ſi ſcribam in aliena charta. II. Confuſio, ſeu permixtio rerum diverſarum, ſi res liquidæ permiſceantur, v. g. vinum unius, cum vino alterius, dicitur in ſpecie *confuſio*, ſi vero aridæ, v. g. frumentum unius cum frumento alterius vocatur *commixtio*. III. Specificatio, ſeu rei in aliam formam facta translatio, ut ſi quis ex meo marmore ſculpat ſtatuam. Circa hanc etiam duæ ſunt regulæ: 1° Si rei meæ novum aliquid accedat, quod alienum non eſt, erit totum meum, veluti ſi pingam in mea tabula. Quia nihil eſt alienum. 2° Si autem acceſſorium ſit alienum, tunc vel poteſt ſine detrimento ſeparari, & tunc debet ſuo domino reſtitui, ſecus læderetur,

vel

vel non poteſt ſeparari, & tunc ſit res *pro rata communis*, hoc eſt tantum jus quilibet habet in re, quantum ejus res, vel induſtria valet, quia nemo ſibi totam rem poteſt absque læſione alterius appropriare: Ille tamen, qui hujus communionis eſt cauſa, debet alteri æſtimationem damni præſtare. Quia læſit; Quod ſi nemini poſſit imputari, tunc vel mutuo conſenſu, vel ſorte decidendum eſt, quisnam eorum rem totam debeat retinere, & alteri per æquivalens ſatisfacere. Quia aliud remedium non ſupereſt, ſiquidem neuter poſſit totum retinere, neque res ſine detrimento ſeparari.

§ 146.

Mixtæ denique acceſſionis duæ ſunt ſpecies: *Satio*, dum ſemen alienæ terræ, & *implantatio*, dum planta alieno fundo immittitur. In utraque ſpecie eædem regulæ ſunt obſervandæ, quæ in acceſſione induſtriali. Quia utrobique etiam induſtria eſt. Hinc illa regula: *Acceſſorium ſequitur ſuum principale* tunc eſt falſa, quando acceſſorium conſtat eſſe alienum. Quia tunc ſuo domino reſtitui debet; Tunc autem vera eſt, quando acceſſorium volo aquirere, & poſſum tam phyſice, quam moraliter. Quia tunc adſunt omnia requiſita dominii, videlicet poſſeſſio juridica, titulus, & modus aquirendi. *Acceſſio* eſt modus aquirendi ſecundum quid originarius. Quia per acceſſionem non aquiritur res nullius,

 cum

cum tamen vel non poſſit probari; cujus ſit, uti in alluvione, vel antea non extitit ita in rerum natura, uti in re pro rata communi, habetur pro re nullius, & ejus aquiſitio originariæ aquiſitioni æquiparatur, ergo.

CAPUT VIII.

De Pactis.

§ 147.

Poſt modum aquirendi originarium ſequitur derivativus, ad quem potiſſimum pacta referuntur. *Pactum* eſt promiſſio acceptata. *Promittere* ſignificat declarare voluntatem de re aliqua præſtanda, præſtare autem eſt aliquid dare, facere, vel non facere in utilitatem alterius, *acceptare* vero ſignificat declarare voluntatem, rem promiſſam in τω ſuum recipiendi. Hinc pacti duo ſunt requiſita: I. Ut adſit duorum, vel plurium in idem conſenſus, ſeu identitas voluntatum, ut nimirum unus aliquid promittat, & alter illud ipſum acceptet. Quia ſecus non poteſt eſſe promiſſio acceptata. II. Ut præſtatio, ſeu, quod promittitur, ſit & phyſice, & moraliter poſſibile. Quia res impoſſibiles nec poſſunt efficaciter promitti, nec acceptari, ergo cir-

circa illas non poteſt eſſe promiſſio acceptata, ergo nec pactum. Quæ duo ſi adſint, τω ſuum promittentis fit τω ſuum acceptantis, hoc eſt promiſſi fit dominus acceptans. Quia qui rem aliquam vult, & poteſt illam tam phyſice, quam moraliter aquirere, fit ejus dominus; verum modo derivativo. Quia aquirit rem, quæ fuit alteri propria. Licet autem paciſcentes contrarium ejus, quod mente volvunt, verbis proferant, ſeu mentiantur, validum tamen pactum celebrant. Quia ſuum conſenſum verbis ſufficienter declarant, neque enim acceptans ob jus connatum bonæ exiſtimationis præſumere poteſt promittentem mentiri, ſed nec promittens ex mendacio lucrum habere poteſt, leges enim naturales juridice ſanctæ ſunt. Non tamen paciſcuntur, qui ſe *jocari* manifeſtant. Quia ſufficienter declarant non eſſe ſeriam ſuam voluntatem, ergo deeſt conſenſus. Neque illi paciſcuntur, qui tantum *tractatus*, & negotiationes pactitias faciunt. Quia in his adhuc deliberatur, an ſit conſentiendum, vel non, ergo nondum adeſt conſenſus, ſed ſine conſenſu non eſt pactum.

§ 148.

Pactum ratione conſenſus vel eſt *expreſſum*, ſi fiat verbis, litteris, nuntio, aliisque ſignis determinatis, vel *tacitum*, ſi fiat ſignis indeterminatis, ex quibus tamen ad voluntatem alterius concludi poteſt, v. g. qui in caupona

menſæ communi aſſidet, tacite promittit ſe ratam ſuam ſoluturum. Ratione autem promiſſionis vel eſt *unilaterale*, dum tantum ex una parte fit promiſſio, uti in donatione; vel *bilaterale*, dum ex utraque parte fit promiſſio, uti in emptione venditione. Itaque numerus perſonarum hanc diviſionem non alterat. Sola promiſſio ſine antecedente, vel conſequente acceptatione non eſt pactum. Quia non eſt promiſſio acceptata, non eſt conſenſus mutuus. Hinc ſi quis per litteras, vel nuncium alteri abſenti aliquid promittat, non eſt pactum. Quia deeſt acceptatio. Et ſi idem ſuum promiſſum ſufficienter revocet, antequam ad acceptantem litteræ, vel nuncius pervenit, licet iſte acceptet, non eſt pactum. Quia jam tunc deeſt promiſſio. Sic etiam *pollicitatio*, ſeu promiſſio ſine jure acceptandi facta non eſt pactum. Quia non eſt promiſſio acceptata. Qui pollicitationem, & promiſſionem ſuam ante acceptationem revocat, non committit quidem injuſtitiam, quia non violat pactum, eſt tamen iniquus. Quia violat obligationem imperfectam, alterum enim certum juſſit eſſe de ſua promiſſione.

Etſi quidem ante pollicitationem naturaliter obligemur alios perficere, obligatio tamen ex pollicitatione fortior eſt, quia ex naturali, & noſtra declaratione compoſita eſt.

§ 149.

§ 149.

Fidem dare eſt alteri aliquid promittere, fidem datam *liberare* eſt promiſſum pactum ſervare. *Perfidia* eſt doloſa datæ fidei violatio. Obligatio pactum ſervandi eſt perfecta. Quia qui pactum violat, lædit alterum, ejus enim ſuum diminuit, nam per pactum τω ſuum promittentis tranſit ad τω ſuum acceptantis, ſed obligamur perfecte neminem lædere. Hinc ſumma eſt pactorum neceſſitas. Quia per pactum obligatio alias imperfecta, & minus ſecura, fit firma, & perfecta, quod ſumme neceſſarium eſt, ſecus enim ſæpe omni auxilio deſtitueremur, obligationi etenim imperfectæ teſte experientia pauci ſatisfaciunt, nec jus cogendi producit, ad perfectam autem implendam quemlibet jure poſſumus cogere.

§ 150.

Ex eo, quod ad valorem pacti requiratur *conſenſus*, ſequitur conſenſum debere eſſe phyſice, & moraliter poſſibilem, phyſice poſſibilis eſt, ſi paciſcens habeat uſum rationis; hinc furioſi, mente capti, infantes, dormientes &c. non poſſunt paciſci. Quia non habent uſum rationis, ergo nec voluntatem, ergo non poſſunt conſentire, ſed ſine conſenſu nullum eſt pactum: Conſenſus autem moraliter poſſibilis eſt, qui nulla lege eſt prohibitus: Hinc quibus lex

prohibet voluntatem ſuam declarare, non poſſunt paciſci, v. g. non licet pupillis alienare bona. Quia ſine conſenſu nullum eſt pactum. An ex defectu conſenſus nullum ſit pactum in errore initum? Videndum eſt an error veniat a promittente, an ab acceptante, an a tertio. Si error veniat a *promittente* v. g. habeat is gemmam orientalem, quam putat ſpuriam, & ideo levi pretio vendat. Pactum eſt validum. Quia adeſt utriusque conſenſus verbis ſufficienter declaratus. Si autem error veniat ab *acceptante*, hicque ſolus erret, v. g. putans in aliqua domo magnum latere theſaurum, illam oblata magna ſumma pecuniæ emit. Pactum eſt validum. Quia adeſt utriusque conſenſus. Sed ſi iſte velit in errorem inducere promittentem, & quidem *ſubſtantialem*, ſeu talem, quem ſi alter ſciviſſet, nunquam pactum iniviſſet, ut ſi loco vini acetum obtruderet, tunc pactum, eſt nullum. Quia deeſt conſenſus. Si vero eum tantum in errorem inducat *accidentalem*, ſeu talem, quem ſi alter ſciviſſet, iniviſſet quidem pactum, ſed non eodem modo; ut ſi loco unius urnæ vini ſubmittat tantum mediam. Tunc validum eſt pactum. Quia adeſt in ſubſtantiam utriusque conſenſus. Si denique error veniat a *tertio*, pactum eſt validum. Quia declaratio conſenſus pro vero conſenſu habetur. Interea error ſemper illi nocet, qui eſt cauſa erroris. Quia qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Hinc ille etiam

omne

omne damnum reparare tenetur. Quia illi imputari poteſt.

§ 151.

Si *vis*, *minæ*, & *metus*, ſeu mali imminentis averſatio in pacto interveniat, tunc ſi eſt metus *juſte incuſſus*, v. g. cogo lædentem ad reparationem damni, pactum eſt validum. Quia & promiſſio, & acceptatio jure fit; ſi autem metus ſit *injuſte incuſſus*, tunc in regula pactum eſt nullum, v. g. latro me cogit metu mortis ſibi promittere 100 aureos. Quia acceptatio promiſſionis non fit jure, ſine acceptatione autem nullum eſt pactum: *In exceptione tamen*, ſi metus injuſtus pro juſto habeatur externe, v. g. inter homines in ſtatu naturali viventes, qui non habent ſuperiorem, ut poſſet de injuſtitia judicare, validum eſt pactum pro foro externo. Quia pro foro externo metus injuſtus habetur pro juſto, pactum autem metu juſto extortum validum eſt: At pro *foro interno invalidum eſt*; Quia de injuſtitia metus judicat Deus.

Grotius pactum metu injuſto extortum putat valere, quod adſit conſenſus. Admitto metum etiam gravem libertatem non tollere, coactam voluntatem eſſe etiam voluntatem, neque dico tale pactum eſſe nullum ex defectu conſenſus, ſed ex defectu acceptationis. Etiam qui validum hoc pactum judicant, agnoſcunt tamen illum, qui metum injuſtum intulit, quo-

niam injuriam fecit promittenti, ad eam reparandam obligari, ergo non habet jus promiſſionem acceptandi, ſine acceptatione autem nullum eſt pactum.

§ 152.

Ex eo, quod præſtatio debeat eſſe *phyſice poſſibilis*, ſequitur non dari obligationem ex pacto ad aliquid impoſſibile, v. g. ad dandum hircocervum. Quia ad impoſſibilia non datur obligatio, niſi quis rem eſſe poſſibilem ſimulavit, & per id damnum fecit, uti *Alchymiſta* obligatur ad ſatisfactionem. Quia qui damnum fecit, tenetur illud reparare. Sic etiam, qui ab initio potuit promiſſum præſtare, poſtea vero ſua culpa deſtituitur facultatibus, v. g. *guloſus decoctor*, tenetur omni alio poſſibili modo ſatisfacere. Quia quamdiu damnum non reparat, tamdiu lædit, quod non licet. Ex eo autem, quod præſtatio debeat eſſe *moraliter poſſibilis* nullum eſt pactum de re illicita. Quia ſecus eadem actio ex pacto eſſet licita, & ex lege naturali illicita, quod abſurdum eſt. Sic etiam nullum eſt pactum, ſi deſit jus promittendi, v. g. ſi quis rem alienam promitteret; Quia ſine promiſſione non eſt pactum.

§ 153.

Ex pacto *acceptans* habet 1° in re promiſſa jus reale. Quia per pactum τω ſuum promittentis tranſit in τω ſuum acceptantis, ſed quilibet

in

in re ſua habet jus reale. 2° habet jus perſonale, quod perſonæ competit tantum in perſonam promittentis. Quia ſi promiſſor pactum non impleat, poteſt cogi, non implendo enim pactum lædit acceptantem, contra lædentem datur jus cogendi. *Promittens* autem habet obligationem pactum implendi. Quia ſecus lædit. Impletur vero pactum, ſi id ipſum præſtetur, quod fuit promiſſum, ſic ſi fuit promiſſum factum comiſſivum, impletur poſitione actionis, omiſſivum omiſſione; *res corporalis*, quæ ſub ſenſus cadit, v. g. equus, *traditione*, vi cujus res ex poſſeſſione unius phyſica in poſſeſſionem alterius phyſicam transfertur, res denique *incorporalis*, quæ ſub ſenſus non cadit, v. g. jus piſcandi, ſi acceptans juris ſui uſum habere permittatur.

§ 154.

Regula juris civilis: *Dominia rerum non pactionibus ſed traditionibus transferuntur*, jure naturæ falſa eſt tunc, quando promittitur res *immediate ſingularis*, ſeu certa, quam philoſophi individuum, jureconſulti autem ſpeciem vocant, hoc eſt talis, quæ ſufficienter indicatur, ut ab aliis ſibi ſimilibus diſtingui poſſit, v. g. liber, quem manu teneo. Quia tunc acceptans ante traditionem per ſolum pactum aquirit jus rei certæ inhærens, quod promittens habebat, hoc autem eſt jus rerum proprium, ſeu dominium. Vera autem eſt tunc, quando promittitur res

mediate ſingularis, ſeu incerta, quam philoſophi ſpeciem, jureconſulti genus nominant, hoc eſt talis, quæ non ſufficienter indicatur, ut ab aliis ſibi ſimilibus diſtingui poſſet, v. g. unus aliquis ex meis libris. Quia acceptans per ſolum pactum non aquirit jus rei certæ inhærens, adhuc enim ab arbitrio promittentis pendet, quam rem in ſpecie dare velit. Porro traditionis variæ ſunt ſpecies. 1° *Vera*, dum res mobilis de manu ad manum datur, & ad immobilem quis introducitur. 2° *Ficta*, *ſeu brevi manu*, dum quis rem meam jam poſſidet, ſed nondum eſt ejus dominus, & ego declaro, ut eam jure dominii teneat. 3° *Longa manu*, ſi res tradenda e longinquo exhibeatur. 4° *Symbolica*, quando loco rei tradendæ alia illam ſignificans traditur, v. g. loco vini empti in cellario, ejusdem claves. Quod ſi res indeterminata nimis, aut univerſalis, v. g. protectio, aſſiſtentia promittatur, inane eſt pactum. Quia poteſt re etiam exigua impleri, ex qua nulla utilitas.

§ 155.

Sunt præterea pacta alia *pura*, quæ nulla ratione ſunt reſtricta, alia *conditionata*, quæ ad eventum conditionis ſunt reſtricta. Quia domino competit jus de re ſua pro arbitrio diſponendi. *Conditio* eſt circumſtantia, quæ actum ſuſpendit in futurum incertum rei eventum. Alia eſt *naturalis*, quæ ex rei natura ineſt,

v. g.

v. g. emptioni evictio. Alia *arbitraria*, quæ conſenſu paciſcentium adjicitur; Et hæc vel eſt *poſſibilis* tam phyſice, quam moraliter, vel *impoſſibilis* tam phyſice, quam moraliter. Conditio poſſibilis alia eſt *poteſtativa*, dum exiſtentia circumſtantiæ ab acceptantis arbitrio pendet, v. g. dabo tibi 24 aureos, ſi cras iveris deambulatum. Alia *caſualis*, ſi circumſtantia pendeat a fortuna, v. g. dabo tibi 24 aureos, ſi cras fuerit ſerenum. Alia mixta, quæ & a fortuna, & ab arbitrio acceptantis pendet, v. g. dabo tibi 24 aureos, ſi cras fuerit ſerenum, & iveris deambulatum. Item conditio poſſibilis vel eſt *ſuſpenſiva*, dum jus, & obligatio differtur, donec exiſtat conditio, v. g. dabo tibi 24 aureos quamprimum nomen militiæ dederis. Vel *reſolutiva* dum jus, & obligatio ſtatim adeſt, ſed ceſſat conditione eveniente, v. g. dabo tibi annue 24 aureos, quamdiu miles manſeris.

§ 156.

Pactum ſub conditione poſſibili initum debet ſervari. Quia conditio arbitraria mutuo promittentis, & acceptantis conſenſu adjicitur, ergo eſt ſpecies pacti, ſed pacta debent ſervari. Deficiente vero conditione non debet ſervari. Quia nullum eſt, deficiente enim conditione deficit conditionatum. Et vi libertatis naturalis ex proprio facto nemo magis obligatur, quam quatenus ſe obligatum velle declaravit.

Pa-

Pactum autem ſub conditione phyſice impoſſibili initum eſt nullum. Quia talis conditio nunquam exiſtet, jam autem deficiente conditione nullum eſt pactum. Sed etiam nullum eſt pactum ſub conditione moraliter impoſſibili initum, v. g. dabo tibi 100 aureos, ſi meum inimicum mactaveris. Quia nec promiſſio, nec acceptatio eſt jure facta. Hinc ex tali pacto non poteſt promittens cogere acceptantem ad implendam conditionem: Sed nec acceptans impleta licet conditione cogere promittentem, ut promiſſum impleat. Quia pactum eſt nullum, ergo nullum jus, nulla obligatio. Si tamen rem promiſſam præſtitit, amplius repetere nequit. Quia donavit, qui enim ſcienter dat, quod non debet, tacite declarat ſe id gratis dare, quod donare eſt, donationis autem non datur repetitio.

Sed dices: acceptans non habet jus exigendi, ergo nec retinendi. Diſpar ratio eſt, exigendi enim nullum jus habet, quia pactum eſt nullum, habet autem titulum retinendi donationem. *Sed hac ratione lucrum ſentit ex turpi facto.* Nequaquam, ſed ex donatione; *Sed indebitum ſolutum poteſt actione indebiti repeti.* Ita ſi ſolutum ſit ex ignorantia facti, non juris. *Sed promittens non voluit donare.* Forte expreſſe, tacite certe donavit, ſcivit enim, aut ſcire potuit ſe non teneri, & tamen dedit.

§ 157.

§ 157.

Ad quæſtionem: *An actus jure naturali prohibitus ſit etiam irritus*, hoc eſt, nullum agenti tribuat jus, decidendam, tres ſequentes regulæ tenendæ ſunt: I. Si aliquis actus ſimplex ſit ex integro, id eſt tam pro foro interno, quam externo prohibitus, ille ex integro eſt nullus, v. g. inimicum occidere. Quia ſecus daretur jus, & non daretur ex eodem actu, daretur, quia non eſſet nullus, non daretur, quia prohibitus eſt, prohibere enim eſt facultatem moralem agendi, ſeu jus adimere, ſed hoc eſt abſurdum. II. Si aliquis actus ſit compoſitus, & non ex integro, ſed tantum propter annexam externam circumſtantiam prohibeatur, ille ex ea actionis parte, quæ permiſſa eſt, non eſt nullus, ſed agenti jus tribuit, v. g. Validum eſt pactum pro foro externo, quod cum abuſu rerum ſuarum quis facit, licet abuti rebus ſuis pro foro interno ſit prohibitum. Quia eatenus actus eſt nullus, quatenus prohibetur, ergo quatenus non prohibetur, non eſt nullus. III. Poteſt aliquis actus intuitu unius eſſe nullus, intuitu autem alterius validus, & quidem vel pro utroque foro, vel ſaltem pro alterutro, v. g. emit quis a me gladium ad innocentem jugulandum, de cujus intentione mihi nihil conſtat. Quia fieri poteſt ut aliquis actus intuitu unius ſit ex integro prohibitus, intuitu autem alterius non ſit prohibitus, vel ſit tan-

tum

tum pro alterutro foro prohibitus, jam autem quatenus quis nihil agit contra legem prohibentem, non eſt ratio, cur ejus actus foret invalidus.

§ 158.

Sæpe pactis adjicitur *dies*, & quidem dupliciter, vel ita, ut dies certa ſit terminus faciendæ præſtationis, & dicitur *pactum ex die*, v. g. emo librum tuum aureo, ſed hunc dabo poſt tres dies. Vel ita, ut dies certa ſit terminus finitæ præſtationis, hoc vocatur *pactum in diem*, v. g. dabo tibi usque finem menſis victum. In primo caſu ante determinatam diem, in ſecundo autem poſt determinatam diem nulla eſt obligatio implendi promiſſum. Quia ex pacto promittens non magis obligatur, quam ſe obligari velle declaraverit. Ubi vero ſine die & conditione facta eſt promiſſio, promittens tenetur illam ſtatim implere. Quia obligatio nulla ratione eſt reſtricta. Æquitas tamen exigit ne illico cum ſacco veniamus. Quia æquitati adverſatur alteri moleſtiam faceſſere, præſertim, ſi promiſſum fuit gratuitum, tunc enim promiſſor ſimul eſt benefactor, quem præ ceteris amare obligamur.

CAPUT IX.

De poſſeſſionis jure, & dominio opinato.

§ 159.

Sæpenumero poſſeſſio cum dominio tantum opinato conjungitur: Eſt autem *dominium opinatum* poſſeſſio rei alienæ in ignorantia invincibili, quod facile evenire poteſt. Quia datur juſta plurimarum rerum ignorantia; infinitæ enim ſunt res, quas propter finitam humani ingenii vim impoſſibile eſt cognoſcere, ſed etiam multa ſunt, ad quæ perdiſcenda ob rationem ſtatus vitæ alterius non obligamur, ſic multa ignorat ruſticus inculpabiliter, quæ ſcit nobilis, ergo plurimarum rerum ignorantia nulli legi repugnat, jam autem in genere juſtum eſt, quod nulli legi adverſatur. Jam ſi quis in ignorantia invincibili circa rem alienam ſuſcipiat aliqua facta, vel non facta, illa imputari non poſſunt. Quia non ſunt libera. Hinc *bona fides* eſt juſta rei alienæ ignorantia, *mala fides* eſt injuſta rei alienæ ignorantia. *Bonæ fidei poſſeſſor* eſt, qui juſtam, id eſt invincibilem habet rei alienæ a ſe poſſeſſæ ignorantiam, *malæ fidei poſſeſſor*, qui injuſtam habet rei alienæ a ſe poſ-

poſſeſſæ ignorantiam, quia vel bene ſcit, rem, quam poſſidet, eſſe alienam, vel ignorat vincibiliter.

§ 160.

Dominium opinatum poteſt aquiri *vel per occupationem*, quia poteſt quis rem alienam putare eſſe nullius, & illam apprehendere, quod occupare eſt, *vel per acceſſionem*, quia poteſt quis rem alienam ſuæ rei accedentem eſſe ſuam judicare, quod acceſſio eſt, *vel per modum derivativum*, quia poteſt quis rem alienam, forte furto ſublatam a vero domino ſibi eſſe traditam opinari, quod eſt modus derivativus aquirendi. Licet autem iſti modi aquirendi non ſint veri, quia res manet aliena, attamen bonæ fidei poſſeſſor jure poteſt interim poſſeſſionem retinere, atque de rei ſubſtantia, ejusque conſectariis pro arbitrio diſponere, quia juſte ſe verum dominum opinatur, cui talia jura competunt, & utique conſcientiam invincibiliter erroneam ſequi licitum eſt. Sed etiam alii bonæ fidei poſſeſſorem pro vero domino præſumere debent ob jus connatum bonæ exiſtimationis. Aliud dicendum eſt, ſi vel ex loco, vel ex natura rei deſumi poſſit, rem eſſe alicujus propriam, ut ſi quis in loco publico aliquid inveniat, vel ab homine ſuſpecto rem pretioſam levi pretio emat. Quia ſcire poteſt rem eſſe alienam, ergo evade-

deret malæ fidei poſſeſſor, qualis rem ſuo domino debet reſtituere, ſecus illum læderet.

§ 161.

Si demum verus rei dominus rem ſuam velit rehabere a bonæ fidei poſſeſſore, debet dominium probare, hoc eſt poſſeſſori fidem facere, rem ab eo detentam ſibi eſſe propriam, quia ſecus impediret poſſeſſorem in jure ſibi ex dominio opinato competente. Probato autem dominio debet alienam reſtiture, quia ceſſat tunc bona fides, malæ fidei autem poſſeſſor tenetur rem reſtituere: Deide bonæ fidei poſſeſſor habebatur pro domino ex præſumptione, ſed ſi verus dominus probet ſuum dominium, adeſt veritas illum non eſſe dominum, cui præſumptio debet cedere, eſt enim tantum opinio, & comparate ad veritatem falſa. Hinc *uſucapio*, id eſt modus aquirendi derivativus, quo quis rem alienam 1° ope juſti tituli, 2° bonæ fidei, 3° poſſeſſionis non interruptæ, & 4° ope longævi temporis ita ſuam facit, ut priori domino ſuperveniendi amplius reſtituere non teneatur, in ſtatu naturali locum non habet. Quia imprimis nemini invito res ſua ſine ratione ſufficiente auferri, detineri poteſt, jam autem nulla ratio ſufficiens aſſignatur: Deinde ad uſucapionem requiritur determinatum poſſeſſionis tempus, 10 vel 20 vel 100 anni, ſed hoc ſola ratio neſcit determinare, docet enim nunquam poſſe

O ſuum

ſuum alterius violari, adeoque etiam poſt mille annos rem ſuo domino eſſe reſtituendam, ſed nec datur ſuperior in ſtatu naturali, qui hoc poſſet determinare.

Grotius allegat pro uſucapione derelictionem. Sed vel eſt vera, vel præſumta: ſi *vera*, res derelicta non per uſucapionem, ſed aquiritur per occupationem, ſi eſt *præſumta*, tunc cedere debet veritati, quamprimum verus dominus probat ſuum dominium. ſed nec licet hoc præſumere, derelinquere enim res illicitum eſt pro foro interno. *Sed ex ſilentio diuturno ſufficienter probatur derelictio.* Nequaquam, poteſt enim ignorare rem ſuam periviſſe, vel metuere poſſeſſorem, vel nondum habere ſufficientia probandi dominium argumenta. *Puffendorfius dicit tacitam inter homines interveniſſe conventionem pro uſucapione.* Verum hoc figmentum eſt, nam veroſimilius, & naturæ humanæ conformius eſt dicere, homines voluiſſe; ut res amiſſa ſuo domino reſtituatur, homines enim res ſuas obligantur conſervare, nec libenter eas amittunt *Sed finis proprietatis eſt, ut quisque ſit ſecurus de poſſeſſione rerum ſuarum, quod non fit ſine uſucapione.* Imo uſucapio tollit ſecuritatem proprietatis, per illam enim vero domino poſſeſſio in perpetuum aufertur. *Sed diurnitate temporis dominium putativum cum vero ita confunditur, ut reſtitui non poſſit.* Hoc verum eſſe poteſt, quamdiu non probatur dominium, quo probato

etiamſi

etiamſi confuſio putativi dominii cum vero eſſet cauſa uſucapionis, ceſſare deberet, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus. *Wolfius ex fundamento felicitatis humanæ eſt pro uſucapione*, 1° *quod ſine ea negligens haberetur cultura rerum.* Negatur, primum enim bonæ fidei poſſeſſor non cogitat ſuperventurum dominum. Deinde ſcit, etiam ſi ſuperveniret, obligatum eſſe ad refundendas omnes impenſas. Denique ex eo, quod uſucapio prodeſſet felicitati communi, non ſequitur dari jus cogendi ad illam, ſicut licet officia beneficentiæ proſint humano generi, ad illa tamen nemo vi externa cogi poteſt. 2° *quod ſine uſucapione perpetua eſſent de proprietate diſſidia.* Equidem lites ſunt malum, ſed majus malum eſt rem alienam ſuo domino non reſtituere. Deinde lites erunt etiam poſita uſucapione, nam uſucapiens debebit probare requiſita uſucapionis contradicenti domino, quod litigare eſt. *Sed ad minimum tunc habebit locum uſucapio, quando poſſeſſio durat immemoriali tempore.* Nequaquam, ſed tunc jus poſſeſſionis a jure veri dominii quoad effectum non diſtabit, non quia poſſeſſor uſucepiſſet, ſed quia verus dominus dominium probare non poteſt. *Sed uſucapio habet locum in ſtatu civili, ergo etiam.* Uſucapio lege naturali nec præcipitur, nec prohibetur, ideo nihil juri naturæ adverſum ſtatuitur, ſi in ſtatu civili obtineat, præſertim cum adſit ſuperior, cui integrum eſt & tempus poſſeſſionis

O 2 de-

determinare, & per uſucapionem negligentes rerum ſuarum cultores punire, in ſtatu autem naturali licite dominus rebus ſuis abutitur pro foro externo.

§ 162.

Malæ fidei poſſeſſor obligatur, vero domino rem a ſe poſſeſſam reſtituere. Quia non licet lædere. *Præterea* omne damnum recuperare. Quia eſt cauſa moralis damni. *Item* ſi res apud illum periit caſu, quæ alias apud dominum non erat peritura, v. g. furto ſublatum equum in ſtabulo furis fulmen enecuit, obligatur dominum indemnem ſervare. Quia illi ob moram hoc damnum imputari poteſt; Niſi res illa etiam apud dominum fuiſſet peritura, ut ſi idem equus morbo interno interiiſſet.. Quia tunc eſt merus caſus, qui domino nocet. *Denique* obligatur omnes fructus præſtare, quia ſecus locupletaretur cum cum damno alterius. Sunt autem *fructus*, omne emolumentum, quod vel ex re ipſa, vel intuitu rei percipitur: Alii ſunt *naturales*, qui ſponte ſua proveniunt, v. g. poma, alii *induſtriales*, qui per induſtriam, v. g. pecunia pro uſu equi, alii *mixti*, qui partim per induſtriam, partim ſponte proveniunt, v. g. frumentum, atque iſti vel ſunt *percepti*, quos quis reipſa in τω ſuum redegit, vel *percipiendi*, quos quis in τω ſuum redigere poterat, licet non redegerit, v. g. procreata poma negle-

glexit colligere. Percepti vel ſunt *extantes*, qui vel in natura, vel æquivalenti exiſtunt, vel *conſumpti*, & quidem plene conſumpti, qui nec in natura, nec in æquivalenti exiſtunt, minus plene conſumpti, qui in æquivalenti adſunt. Etiam percipiendos fructus tenetur præſtare propterea, quia impedivit dominum in jure eosdem percipiendi, ergo damnum fecit, ergo illud reparare obligatur.

Non dicas autem: fructibus percipiendis ſed non perceptis malæ fidei poſſeſſorem non eſſe factum locupletiorem, quos ſi præſtiterit, cum damno ejus lucrum habiturum eſſe rerum dominum, aut ſimplicitatis daturum pœnas. Quia eſto non ſit locupletatus malæ fidei poſſeſſor, læſit tamen dominum, qui non majus habebit lucrum eosdem recipiendo, quam erat habiturum, ſi rem ſuam poſſediſſet, neque hoc damnum dici poteſt intuitu malæ fidei poſſeſſoris, oritur quippe ex uſu juris ſui, nunquam denique ſimplicitas, ſed mala fides luit pœnam.

§ 163.

Contra poſſeſſor bonæ fidei, etiamſi res deteriorata ſit, vel tota ejus culpa periit, damnum reparare non tenetur. Quia verum dominum non læſit. Obligatur tamen omne *lucrum ex re proveniens*, ſeu id, quod ex illa plus habet, quam antea habebat, reſtituere. quia ſecus locupletaretur cum damno alterius, quod

non licet. Hinc I. ſi rem alienam obtinuit gratis, & deinde illam pro alia permutavit, ſed verus dominus rem ſuam a ſecundo poſſeſſore non poſſit rehabere, tenetur æſtimationem præſtare, quia res permutata eſt lucrum ex re aliena proveniens. II. ſi rem alienam donavit, & fuiſſet donaturus aliam, niſi iſtam habuiſſet, tunc etiam tenetur æſtimationem rei donatæ præſtare, ſi illam verus dominus a ſecundo poſſeſſore non poſſit rehabere, quia res, quæ a donatione immunis remanſit, eſt lucrum ex re aliena proveniens. III. Omnes fructus extantes, & eos, quibus factus eſt locupletior, veluti ſi ſuis pepercit, quia habet lucrum ex re aliena proveniens, omne autem lucrum tenetur reſtituere. *Attamen* fructus plene conſumptos, vel percipiendos non obligatur refundere, quia uſus eſt jure ſuo, ergo non læſit dominum, ergo non intulit damnum, ergo reparare non tenetur.

§ 164.

Sed etiam dominus, quando probato dominio rem ſuam recipit, debet impenſas neceſſarias, & utiles tam bonæ, quam malæ fidei poſſeſſori refundere. Quia illi hoc fecerunt, quod ipſe dominus facere debuiſſet, quilibet enim obligatur res ſuas conſervare, & meliorare, nam obligatur ſtatum ſuum externum perficere. Dein, ſi iſtas impenſas nollet compenſare, locupletaretur cum damno alterius, quod

non

non licet. Sunt autem *impenſæ*, ſumptus, quos in rem facimus, & quidem aliæ *neceſſariæ*, quas facimus ad rem conſervandam, aliæ *utiles*, quas facimus ad rem meliorandam, aliæ *voluptuariæ*, quas ſolius jucunditatis cauſa erogamus.

Objicitur: Dominus malæ fidei poſſeſſorem, utpote lædentem poteſt punire negando refuſionem impenſarum. Reſpondeo: Omnis pœna debet eſſe juſta, ſeu læſioni proportionata, ſecus ex læſo fies lædens, læſioni autem proportionata pœna tunc eſt, ſi ad præſentem depellendam, præteritam reparandam, & futuram impediendam ſufficiat, jam vero ad læſionem præſentem depellendam, & præteritam reparandam ſatis eſt rem cum omnibus fructibus recipere, per hoc enim omnia damna ceſſant, ad futuram autem impediendam denegare refuſionem impenſarum ſæpe non ſufficit, ſæpe majus eſt malum, quam imminens læſio, ergo in genere dici nequit dominum poſſe pro arbitrio denegare refuſionem expenſarum.

§ 165.

Quod vero impenſas voluptarias attinet, illæ vel poſſunt ſine rei detrimento tolli, vel non poſſunt; ſi *primum*, tunc eas & bonæ, & malæ fidei poſſeſſor poteſt auferre, quia non alienam, ſed rem ſuam aufert: ſi *ſecundum*, tunc neuter poteſt tollere, quia non licet alteri detrimentum inferre, ſed *bonæ fidei poſſeſſori*,

debet earum æſtimatio præſtari, quia ſecus dominus cum ejus damno locupletaretur, *malæ fidei autem* poſſeſſori nihil debet refundi, quia ille ſciens eas fecit, ad quas faciendas non erat obligatus, ergo donavit, donationis autem non datur refuſio. Sed nec id, quod poſſeſſor bonæ fidei pro re aliena aquirenda erogavit, dominus reddere tenetur, quia ſecus pro re ſua ſolveret, & fieri poſſet, ut nihil recuperet: verum poſſeſſor bonæ fidei habet regreſſum ad venditorem, quia omni emptioni naturaliter ineſt evictio. Niſi rem certo corrumpendam, veluti a pirata eo animo redimeret, ut eam ſuo domino reſtituat, quia tales ſumptus ſunt impenſæ neceſſariæ, quas dominus refundere obligatur. Denique nec mercedula inventionis debetur inventori ex juſtitia, niſi ſit promiſſa, quia non dando mercedulam inventori ſuum illius non violatur; & inventor rem ſuo domino gratis reſtituere tenetur, ſecus furtum committit. Aliud eſt ex caritate, & gratitudine.

CAPUT X.

De pactis ſpeciatim beneficis.

§ 166.

Introducto rerum dominio obligabantur homines ſibi invicem res externas, & etiam operas communicare, quia obligabantur ſe mutuis viribus perficere, quod fieri non poterat ſine communicatione rerum, & operarum, introducto enim dominio alii certis rebus abundabant, quibus alii carebant. Verum hæc obligatio fuit imperfecta, quia ad illam implendam cogi nemo poterat, ſecus fruſtranea fuiſſet introductio proprietatis. Ut itaque converteretur in perfectam, opus fuit pacto, quia pactum parit obligationem perfectam. Hinc pacta, quatenus perfectam producunt obligationem etiam *contractus* appellantur. Jure civili romano pactum a contractu in eo differt; quod ex contractu detur actio civilis, non item ex pacto, ſed jure naturæ pactum, & contractus idem ſunt, quia ex utroque datur actio naturalis, hoc eſt jus cogendi, ut promiſſum impleatur.

§ 167.

Contractus habent qualitates aliquas eſſentiales, aliquas naturales, aliquas accidentales, *eſſentiales* ſunt, quæ a contractu abeſſe non poſſunt ita, ut vel nullus ſit, vel in alium contractum transeat, v. g. mutuus conſenſus. *Naturales ſunt*, quæ contractui ex natura inſunt, & ſubintelliguntur, mutua tamen conventione abeſſe poſſunt, v. g. in emptione evictio. *Accidentales ſunt*, quæ ex natura contractus non intelliguntur, per expreſſam tamen conventionem adjici poſſunt, v. g. emptioni pactum de retro vendendo. Sunt autem contractus alii *gratuiti, ſeu benefici*, dum quis alteri res, vel operas gratis promittit, alii *oneroſi, ſeu permutatorii*, dum nihil gratis promittitur, ſed utraque pars aliquid præſtare debet. *Donatio* in ſenſu lato eſt translatio τω noſtri in acceptantem gratis facta. *Permutatio* in ſenſu lato eſt tanslatio τω noſtri in acceptantem ſed non gratis facta. Hinc omnis contractus beneficus unilateralis eſt, & aliquam ſpeciem donationis continet: quia in eo unus tantum aliquid promittit, & gratis, omnis autem contractus oneroſus bilateralis eſt, & redolet permutationem; quia in eo uterque promittit, & non gratis.

§ 168.

Contractus benefici ſunt I. *Donatio ſtricte talis*, ſeu contractus beneficus, vi cujus res corporalis, vel incorporalis alteri datur. Qui dat *donans*, qui accipit, *donatarius* audit. Hinc 1° nemo poteſt donare, niſi dominus, quia nemo poteſt in alterum aliquid transferre, niſi illud habeat in τω ſuo. 2° Donationis non datur revocatio, quia pactum ſervari debet, niſi liberalitas nondum fuiſſet acceptata, quia ſine acceptatione non eſt pactum. 3° Donatio poteſt ſub conditione etiam fieri, quia dominus de re ſua poteſt pro arbitrio diſponere: hinc notatu digna eſt *donatio mortis cauſa*, ſeu ſub conditione, ſi donans ante donatarium fuerit mortuus, absque hac conditione facta donatio vocatur *donatio inter vivos*, quæ irrevocabilis eſt. 4° Donationis non datur reſuſio, quia ſecus non eſſet donatio, ideo pactum donationis reciprocæ non eſt contractus beneficus, quia præſtatio non fit gratis.

§ 169.

II. *Mutuum*, ſeu contractus beneficus, vi cujus uſus *rei fungibilis* datur ea lege, ut poſt certum tempus *in eodem genere* reſtituatur. Qui dat, vocatur *mutuans*, qui accipit *mutuatarius*. *Res fungibilis eſt*, quæ uſu conſumitur, quæ fungitur vice rei alterius ejusdem generis, ut una pro altera ſubſtitui poſſit, ejusmodi ſunt pe-

pecunia, frumentum, vinum &c. *In eodem genere reſtituere ſignificat*, in eadem quantitate, & qualitate, ut ſcilicet mutuans nec plus, nec minus recipiat, quam dederat, & ſolo uſu carere videatur. Hinc 1° mutuans manet dominus rei mutuatæ in genere, quia vult ſibi eam in genere reſtitui, neque tamen poteſt eam ante tempus repetere, quia pactum ſervare debet. 2° Mutuatarius fit datæ ſpeciei dominus, quia aquirit uſum rei fungibilis, cujus uſus in conſumptione conſiſtit, ergo habet jus de illa plene diſponendi, quod dominium eſt; Hinc ſi res mutuata caſu pereat, damnum ſentit mutuatarius, quia caſus nocet domino, & genus non perit, ſed ſpecies. 3° Mutuatarius obligatur poſt certum tempus rem in eodem genere reddere, quia ad id ſe vi hujus contractus obligavit, ſecus læderet, hinc ſi quis alteri mutuos dedit 100 aureos pro duobus annis, licet interea valor aureorum augeretur, non tenetur tamen plus reddere, quam quantum accepit, quia tantum in eodem genere rem mutuatam reſtituere obligatur, & contractus iſte eſt gratuitus, niſi de hoc caſu ſpeciale pactum fuiſſet adjectum.

§ 170.

III. *Commodatum*, ſeu contractus beneficus vi cujus uſus *rei non fungibilis* datur alicui ea lege, ut poſt certum tempus *in ſpecie* reſtituatur.

tur. Qui dat, nominatur *commodans*, qui accipit, *commodatarius*, Res *non fungibilis* eſt, quæ uſu non conſumitur, v. g. equus, habitatio &c. *In ſpecie reſtituere rem ſignificat*, eandem rem in individuo, quæ data fuit, reddere. Hinc 1° Commodatarius non poteſt magis re uti, aut diutius, quam conceſſum ſit, quia ſecus violaret pactum, & committeret furtum uſus. 2° Finito uſu, & tempore tenetur rem in ſpecie reddere, quia ad id fidem ſuam obſtrinxit, & ideo attendere debet, ne res pereat, aut deterior fiat, quia ſecus non poſſet rem in ſpecie reddere, & hinc tenetur ad rei uſum neceſſarias ferre impenſas, v. g. alere equum, quia ſecus periret, aut deterior fieret, quod cavere debet 3° Commodatarius, ſi ejus culpa res deſtruatur, debet præſtare ſatisfactionem, quia omnis, qui damnum facit, tenetur illud reparare: Sed ſi caſu periit, ex juſtitia aliam præſtare non tenetur, quia caſus nocet domino, qui eſt commodans, denique rem ante tempus reſtituere ex juſtitia non obligatur, etiamſi ea indigeret commodans; quia certus rei uſus usque ad definitum tempus ad commodatarium pertinet, qui ei invito adimi non poteſt ſine læſione, æquitas tamen ſæpe aliud poſtulat, præſertim erga benefactorem, qualis eſt commodans, qui uſum rei gratis conceſſit. 4° Si pro uſu rei aliquid promittatur, non eſt commodatum, quia tunc uſus rei non datur gratis; niſi daretur *bo-*

norarium, ſeu aliquid remunerandi cauſa, quod antea non erat promiſſum: quia verum manet uſum rei fuiſſe gratis conceſſum.

Grotius, *&* *Puffendorſius condemnant commodatarium ad aliam rem præſtandam*, *ſi commodata caſu pereat non peritura apud commodantem*, *uti etiam ad rem ante tempus reddendam*, *ſi ea indigeat*; *quod nonniſi ſub tali conditione tacita commodatum celebrari intelligatur*. Negamus, hæc enim conditio ex natura commodati non intelligitur, ergo debuiſſet per expreſſam conventionem adjici, quod cum neglexerit commodans, ſibi debet imputare juxta regulam: Contra illum facienda eſt interpretatio, qui poterat clarius loqui, & non eſt locutus.

§ 171.

Precarium, ſeu contractus beneficus, vi cujus uſus *rei non fungibilis* datur ea conditione ut quandocunque concedenti placuerit, eadem *in ſpecie* reſtituatur. Hic contractus convenit cum commodato, hoc uno excepto, quod nullum determinetur pro uſu rei tempus, & ideo concedens poteſt rem ſuam pro lubitu repetere, & accipiens tenetur illam ſtatim reſtituere, quia hac lege ei uſus rei eſt conceſſus V. *Depoſitum* ſeu contractus beneficus, vi cujus res aliqua cuſtodienda traditur ea conditione, ut quandocunque placuerit, deponenti reſtituatur. Qui rem cuſtodiendam tradit, *deponens*, qui ſuſcipit nun-

nuncupatur *depoſitarius*. Hinc 1° depoſitarius obligatur diligenter rem cuſtodire, quia ad id ſe vi hujus contractus obligavit. Abſtinere ab omni uſu rei, quia ſecus rem non cuſtodiret diligenter, imo furtum uſus committeret. 2° Depoſitarius obligatur depoſitum etiam ante tempus, ſi illud deponens repetat, reſtituere, quia ſi tempus adjicitur, non in favorem depoſitarii, ſed deponentis eſſe adjectum cenſetur; Atque omne damnum culpa datum reſarcire, quia qui eſt cauſa damni, illud reparare obligatur. 3° Depoſitarius debet in conflictu depoſitum potius vero domino, quam deponenti reſtituere, quia ſecus verum dominum impediret in jure rem ſuam vindicandi; Item furioſo, v. g. depoſitam frameam, qua ſe, vel alium trucidare poſſet, penitus denegare, quia ſecus eſſet cauſa moralis damni. Denique tempore incendii res deponentis pretioſiores ſuis præferre, quia in conflictu majus bonum præferendum eſt minori, neque propterea depoſitarius damnum patietur, ſi quidem 4° deponens obligatur omnes neceſſarias, & utiles impenſas ad cuſtodiam rei factas refundere, quia ſecus locupletaretur cum damno depoſitarii. 5° Si rei depoſitæ uſus concedatur, ceſſat eſſe depoſitum, quia eſſentiale hujus contractus eſt gratuita cuſtodia, & quidem ſi uſus concedatur gratis rei fungibilis, naſcetur *mutuum*, ſi rei non fungibilis, *commodatum*; Quod ſi uſus rei depoſitæ detur ſed non gratis,

uti

ubi etiam ſi non gratis præſtetur cuſtodia, illico oritur contractus *oneroſus.*

§ 172.

VI. *Mandatum* ſeu contractus beneficus, vi cujus quis negotium alterius ſibi ab eodem commiſſum gerendum ſuſcipit. Qui negotium ſuum alteri committit, eſt *mandans*, qui ſuſcipit, *Mandatarius.* Hinc 1° Mandans eſt cauſa moralis actionum mandatarii, quia regula juris eſt in juribus non mere perſonalibus (hæc etenim perſonam non eggrediuntur) *quod quis per alium facit, per ſe feciſſe videtur.* 2° Mandatarius omnia jura, & obligationes ex demandato negotio profluentes mandanti aquirit, quia in eodem mendantem *repræſentat*, hoc eſt nomine ejus agit. 3° Mandatarius obligatur negotium ſibi comiſſum omni diligentia gerere, quia ad hoc ſe vi hujus contractus obligavit, ideo damnum ſua culpa illatum reparare, quia ad hoc obligatur, quicunque eſt cauſa moralis damni. 4° Mandans tenetur ex juſtitia negotium intra fines mandati geſtum ratihabere, quia ſecus & mandatarium, & omnes, qui cum eo egerunt, ludificaret, læderet; Item mandatarium, ſi quid de ſuo errogavit in negotio adminiſtrando, indemnem ſervare, quia ſecus locupletaretur cum damno ejus, quod juſtitiæ adverſatur, non tenetur tamen damnum ejus caſuale reparare, qu a caſus nocet domino, niſi ex æquitate, ſi per id in

man-

mandatarium major perfectio redundaret, tunc enim caritas a ſe ipſo non inchoat. 5° Qui negotium ſibi non comiſſum ultro, & gratis ſuſcipit, veluti ſi quis vicini ſui peregre abeuntis caminum, qui domui ejus ruinam minabatur, reparari curaret, mandatarius non eſt, ſed *negotiorum geſtor*, *procurator voluntarius*, quia non habet mandatum: Obligatur tamen quaſi ex mandato, quia facto proprio declarat ſe negotium alterius ita geſturum, ac ſi mandatum haberet, adeoque debet rem ſumma diligentia gerere, damnum dolo, vel culpa datum emendare, rationes dare, ut appareat, qua diligentia negotium alienum adminiſtraverit, quia illi factum imputatur, ergo etiam omnia conſectaria. Sed etiam dominus tenetur negotiorum geſtori neceſſarias, & utiles impenſas refundere, quia hoc fecit, quod ipſe dominus facere debuiſſet, & ſecus locupletaretur cum damno alterius.

CAPUT XI.

De contractibus permutatoriis generatim, & de rerum pretio.

§ 173.

Omnes contractus permutatorii ad hos quatuor articulos revocantur: I. Do, ut des. II. Do, ut

ut facias. III. Facio, ut des. IV. Facio, ut facias, quia qui contractum celebrat permutatorium, nec rem, nec operam dat gratis, ſed vult, ut vel rem, vel operam recipiat, jam ſi *rem* pro *re* recipiat, eſt contractus, do, ut des, ſi *operam* pro *re*, eſt, do, ut facias, ſi *rem* pro *opera*, eſt, facio, ut des, ſi denique *operam* pro *opera*, eſt facio, ut facias. Atque in his ſitum eſt *commercium*, quia commercium eſt mutua rerum, & operarum communicatio, jam autem per hos contractus tam res, quam operæ communicantur. In contractibus permutatoriis neceſſarium eſt rerum pretium, quia non fiunt gratis. Pretium autem rerum ex æſtimatione valoris earundem ſic eſt enatum. Valor in *genere* eſt quantitas perfectionis, & utilitatis alicujus entis, in hoc ſenſu habet etiam homo valorem, ſic hominem trium linguarum dicimus valere tres homines, in *ſpecie* autem valor rei eſt quantitas utilitatis, quam nobis in illa repræſentamus, ita eo plus valere rem aliquam dicimus, quo majorem illi ineſſe utilitatem cognoſcimus, hunc valorem ſpectabant homines in permutatione, volebant enim, ut æqualia ſint ratione utilitatis ea, quæ invicem præſtantur, quia permutantium quilibet tantum intendit recipere, quantum dedit, quam æqualitatem ut obtinerent, debebant res permutandas *æſtimare*, ſeu valorem rerum determinare, hoc eſt res, & operas inter ſe comparare,

rare, ut ita earundem identitatem, & diverſitatem reſciant, & tandem, quantam una res relate ad alteram habeat quantitatem utilitatis, deſigere, quia aliter æqualitas ratione utilitatis inveniri non poteſt, v. g. voluit quis pro ovibus aquirere equum, & ex comparatione intellexit equum v. g. trigeſies tantum valere, atque unam ovem, tunc equus æſtimatus eſt valere 30 oves; Hæc denique determinatio valoris rei in commercio exiſtentis eſt ejus *pretium*, quia ideo valor rei determinatur, ut illam poſſimus cum alia permutare.

§ 174.

Omnia, quæ in dominio noſtro ſunt, habent ſuum valorem, æſtimationem, & pretium. Quia, quæ in dominio ſunt, habent aliquem uſum, ſecus non eſſent objectum dominii, ergo habent aliquam quantitatem utilitatis, ſed *valor eſt quantitas utilitatis*, hæc utilitas, ſeu valor rei poteſt determinari, non enim eſt infinitus, ergo habent æſtimationem, quia *æſtimatio rei eſt ejusdem valoris determinatio*, & quæ in dominio ſunt, ſunt etiam in commercio, ergo habent pretium, quia *pretium eſt determinatus valor rei in commercio exiſtentis*. Hinc ſol, luna, non habent pretium, neque virtutes, uti juſtitia, pudicitia &c., quia non ſunt res, non ſunt in dominio, & commercio. Plenior tamen pretii definitio eſt, quod ſit *quantitas moralis rebus,*

& operis hominum arbitrio tributa, ut earum ad ſe invicem ratio definiri poſſit. Quia objecta, quæ permutantur, plerumque heterogenea, ſeu diverſi generis ſunt, mutuæ enim hominum neceſſitati, & commoditati, quæ cauſa erant permutationis, non fuiſſet conſultum per commutationem objectorum homogeneorum, ſeu ejusdem generis, jam autem in objectis heterogeneis ratio, ob quam illa ratione utilitatis æqualia habentur, non eſt phyſica, ſed moralis, & hominum arbitrio tributa, nam v. g. alium uſum præſtat equus alium oves phyſice, moraliter tamen, & ex judicio paciſcentium poſſunt æqualem habere utilitatem.

§ 175.

Ad determinandum pretium opus eſt aliqua menſura, quia pretium eſt quantitas, jam autem quantitatem ſine menſura determinare non poſſumus, & quidem opus eſt menſura morali, hoc eſt aſſumi debet utilitas unius rei permutandæ: v. g. equi, & comparari cum utilitate alterius v. g. cum utilitate 30 ovium, quia pretium eſt quantitas moralis. Quæ res eandem habent menſuram moralem, ſeu quæ intuitu utilitatis æquales ſunt, vocantur *æquivalentes*, poſſunt ſibi invicem ſubſtitui, & permutari, quia æquale habent pretium. Utilitas autem rei alia eſt *vera*, quæ ex natura ſua præſtat uſum, uti panis, alia *imaginaria*, quæ tantum ex opinione ho-

hominum eſt uſui, v. g. gemmæ, item alia eſt *communis*, quæ omnibus eſt uſui, uti panis, alia *particularis*, quæ tantum aliquibus prodeſt, veluti ægroto medicina; *Raritas* vero rei eſt, ſi aliqua res magis, minusve uſu exhauri poſſit, & non ubique haberi; Cauſa pretii eſt utilitas rei conjuncta cum raritate, quia nec ſola utilitas facit pretium, ſic aqua nullius eſt pretii, ubi abundat; nec ſola raritas facit pretium, ita albæ muſcæ nullius ſunt pretii, niſi forte pretium affectionis, quod hic ex imaginaria utilitate proveniret. Hinc creſcente vel utilitate, vel raritate rei creſcit etiam pretium, & decreſcente vel utilitate, vel raritate rei decreſcit pretium, quia creſcente cauſa creſcit effectus, & decreſcente decreſcit.

§ 176.

In ſtatu naturali quilibet dominus poteſt rebus ſuis, juribus, & operis pretium jam majus, jam minus ſtatuere, quia pretium eſt rei emolumentum, ſed dominus ex re ſua poteſt omne emolumentum percipere; Eſt autem pretium aliud *vulgare*, ſi valor alicujus rei determinetur per valorem tantum alterius rei, ut ſi dicam: Equus tantum valet, quantum 30 oves; aliud *eminens*, ſi valor alicujus rei determinetur per quantitatem pecuniæ, v. g. equus valet 20 aureos. Pretii eminentis hæc eſt origo philoſophica: vulgare pretium non erat commoda menſura

ſura rerum permutandarum, quia ſæpe alter id non habebat, quo alter egebat, vel voluit tantum partem, & res commode dividi non poterat, vel debuiſſet de loco in locum transferri, erat autem magnæ molis, ut itaque homines has difficultates tollerent, excogitarunt talem materiam, cujus determinata quantitas phyſica, eſſet menſura cujuslibet vulgaris pretii, vocaruntque *pecuniam*, quæ ſi in certas partes dividatur, ſigneturque, nominatur *moneta*. Pecunia pretium eminens eſt propterea, quia eſt æquivalens univerſale, poteſt cuilibet pretio vulgari ſubſtitui, & tollit omnia incommoda cum vulgari pretio conjuncta.

§ 177.

Non poterat autem qualiscunque materia pro pecunia aſſumi, ſed quæ 1° per ſe utilitatem habuit, & vulgare pretium, quia ſecus nemo pro ea aliquid permutaſſet 2° quæ non fuit nimis rara, quia ſecus non ſuffeciſſet hominibus, 3° nec nimis obvia, quia ſecus nullius fuiſſet pretii, 4° quæ fuit ſubſtantiæ compactæ, quia ſecus uſu attrita amiſiſſet multum de utilitate, 5° quæ potuit dividi in partes minimas, facile cuſtodiri, & transferri, quia ſecus eædem manſiſſent difficultates, quæ erant in vulgari pretio. Optima materia pecuniæ ſunt metalla pretioſiora, puta aurum, argentum, & æs; quia habent omnes requiſitas qualitates: habent per

ſe

ſe utilitatem, nec ſunt nimis rara, nec nimis obvia, ſunt ſubſtantiæ durabilis, poſſunt in partes minimas dividi, facile cuſtodiri, & transferri. Pecunia vel eſt *proba*, dum ejus valor externus reſpondet interno, id eſt materiæ, & ponderi, vel *reproba*, ſi valor externus non reſpondet interno, quod cum ab omnibus cognoſci non poſſit, ideo hodie pecunia publica forma, & effigie ſignatur, ut inde quilibet certus ſit pecuniam eſſe probam.

§ 178.

Duplex eſt pecuniæ uſus: *Primus, & præcipuus* conſiſtit in ejus alienatione, quia pecunia inventa eſt, ut in permutatione rerum vulgari pretio ſubſtituatur, jam autem in permutatione res alienantur, ex dominio enim unius transferuntur in dominium alterius, quod alienare eſt. *Secundus*, quod pecunia cujusvis patrimonium, conſequenter divitiæ, commoditas, paupertas, egeſtas, & mendicitas æſtimari poſſint, quia pecunia eſt æquivalens univerſale omnium rerum in dominio alicujus exiſtentium, jam autem patrimonium eſt complexus bonorum, quæ quis in ſuo dominio habet. Sic *dives* eſt, qui pecuniam habet ſuperfluam, ſeu, qui tantum poſſidet patrimonium, ut non tantum vitæ neceſſitati, utilitati, & jucunditati ſufficiat, ſed ultra hæc etiam ſuperabundet, *commodus* eſt, qui ſufficientem, non tamen ſuperfluam habet pe-

cuniam, ſeu, qui tantum habet patrimonium, ut recte vitæ neceſſitati, utilitati, & jucunditati ſufficiat. *Pauper* eſt, cujus pecunia, & patrimonium unice vitæ neceſſitati ſufficit. *Egenus* eſt, cujus pecunia, & patrimonium nec vitæ neceſſitati plene ſufficit. *Mendicus* denique eſt, qui nullam pecuniam, nullum habet patrimonium.

§ 179.

Naturaliter juſtum, & æquum pretium eſt, quod mutuo paciſcentium conſenſu ſtatuitur: *juſtum* propterea, quia in juribus permiſſivis volenti non fit injuria, *æquum* autem propterea, quia quilibet paciſcentium optime ſcit, an, & quomodo re permutanda perficiatur. *Injuſtum* vero eſt 1° ſi alter in pretium per errorem, aut dolum inducatur, quia tunc ſuum illius violatur, 2° ſi tale ſtatuatur, ut laborare volens res neceſſarias ſibi comparare non poſſit, quia impeditur in jure ſe conſervandi. 3° ſi res utiles cariori ſint pretio, quam jucundæ, quia impeditur alter in jure ſe perficiendi, majorem enim adferunt perfectionem res utiles, quam jucundæ, impedire autem alium in exercitio juris eſt injuſtum.

CAPUT XII.

De variis permutationum formis.

§ 180.

Contractus oneroſi alii ſunt *nominati*, qui ab uſu frequentiore certum ſpeciale nomen habent, alii *innominati*, qui tale nomen non obtinuerunt. Hoc tamen de omnibus generatim notandum, omnem in iis inæqualitatem eſſe illicitam, quia permutantes nihil volunt dare gratis, ſed quilibet tantum recipere, quantum dedit, attamen rerum permutandarum æqualitas pendet a judicio contrahentium ita, ut æquales ſint res, quæ a contrahentibus tales eſſe cenſentur: quia in ſtatu naturali quisque ſuis rebus poteſt pretium pro libitu ſtatuere, neque tenetur in æſtimanda re ſtare judicio aliorum. Hinc vitia oculta rebus permutandis inhærentia manifeſtari debent, quia ſecus non poterunt vere æſtimari, non ſervabitur æqualitas. Sunt vero contractus oneroſi nominati: I. *Permutatio in ſpecie*, ſeu contractus oneroſus, quo pretium vulgare datur pro pretio pariter vulgari, v. g. triticum pro piſis. Iſte contractus eſt 1° omnium antiquiſſimus, quia unicus, & neceſſarius fuit ante conſtitutum pretium eminens, 2° ſolo conſenſu

perficitur, hoc eſt ante traditionem fit quilibet permutantium dominus rei promiſſæ, quia in hoc contractu res immediate ſingularis promittitur utrinque, ejusmodi autem rei ſimus domini ante traditionem.

§ 181.

II. *Emptio venditio*, ſeu contractus oneroſus, quo pro re datur certa pecuniæ quantitas. Qui rem dat, *venditor*, qui pecuniam, *emtor*, res vero, pro qua datur pecunia, *merx* dicitur. *Eſſentiale hujus contractus eſt* conſenſus, merx, & pretium eminens, quia eſt contractus qui ſine conſenſu eſſe non poteſt, & quidem talis contractus in quo pro merce datur pretium eminens. Hinc 1° emtor obligatur ſtatim pecuniam, & venditor mercem tradere, quia pacta pura ſtatim obligant; niſi aliter fuiſſet conventum, aut unus alterius fidem ſequatur, hoc eſt, aut emtor verbis venditoris de merce tradenda, aut venditor verbis emtoris de pretio ſolvendo confidat, quia pacta conditionata non debent ſtatim impleri. 2° Si res ſit in ſpecie emta, & ante traditionem caſu pereat, emtori perit, quia rei in ſpecie promiſſæ ſit emtor dominus ante traditionem, caſus autem nocet domino; Et ſi rem talem venditor iterum alienaret, ſecunda venditio eſſet nulla, quia pactum de re aliena eſt nullum: Sed ſi emtor rem tantum in genere emit, illaque caſu pereat, non emtori, ſed pe-

rit

rit venditori, quia talis rei ante traditionem emtor non eſt dominus. 3° Pecunia promiſſa pro mercibus ante traditionem eſt in dominio emtoris, adeoque ſi pereat, emtori perit, non venditori, quia eſt genus, plures enim ſpecies monetæ ſub ſe continet, jam autem rei in genere promiſſæ ante traditionem non ſimus domini. *Naturale autem hujus contractus* eſt evictio, ſeu ſatisfactio emtori præſtanda, ſi verus dominus rem emtam jure vindicaret, quia naturale eſt oneroſorum contractuum, ut nihil detur gratis; niſi emtor ſciviſſet rem eſſe alienam, tunc enim evictionis præſtationem a venditore exigere nequit, quia illi tacite renunciavit, naturale autem tamdiu tantum ineſt rei, quamdiu non tollitur vel per expreſſam, vel tacitam conventionem. *Accidentale denique hujus* contractus ſunt varia pacta, quæ adjici ſolent, uti 1° *Pactum de retrovendendo*, ut nimirum rem emtam venditori iterum redimere liceat, 2° *Lex comiſſòria*, ut niſi emtor intra certum tempus pretium ſolvat, res ſit inemta: 3° *Pactum addictionis in diem*, ut res ſit empta, ſi intra certum tempus nemo plus obtulerit, inemta vero, ſi alter plus dederit. *De his hoc axioma valet:* Prout lingua nuncuparunt paciſcentes, ita jus eſto, quia pacta quidem omnia ſervari debent, ſed nemo ex pacto alteri magis obligatur, quam ſe obligari velle declaraverit.

§ 182.

§ 182.

III. *Locatio conductio*, ſeu contractus onerosus, quo uſus rei non fungibilis, vel opera præſtatur pro certa pecuniæ quantitate. Alia eſt *rerum*, alia *operarum*. Qui uſum rei, vel operam promittit eſt *locator*, qui pecuniam, *conductor*, pecunia autem merces vocatur. Hinc 1° Locator obligatur uſum rei, vel operam præſtare per tempus definitum, quia ſecus non ſervaret contractum; Neque poteſt ante tempus expellere conductorem, etiamſi ipſe indigeret, quia ſecus læderet conductorem. 2° Conductor ita debet re uti, ut non abutatur, quia non rei, ſed tantum uſus eſt dominus, præſtare mercedem non obſtante ſterilitate, quia merces non a fertilitate, vel ſterilitate ſolvitur, ſed ab uſu; rem non deſerere ante finitam locationem, niſi velit totam mercedem ſolvere, quia ſecus læderet locatorem, ſi tamen juſtæ adeſſent cauſæ rem deſerendi, uti incurſio hoſtium, metus peſtis &c. poteſt deſerere, quin ſolvat mercedem, quia tunc non poteſt habere rei uſum, pro uſu autem ſolvitur merces, neque hoc imputari poteſt conductori, ergo caſus nocet locatori utpote rei domino. 3° Conductor poteſt uſum ſuum alteri *ſublocare*, quia uſus eſt dominus, quodſi finito locutionis tempore tacente locatore continuet re uti, ſit *relocatio*, ſeu tacite nova locatio, quia factis conſentiunt in loca-

cationem conductionem. 4° Si locator rem locatam vendat, emtor non poteſt ante tempus excludere conductorem, quia hoc facere non poteſt locator, jam autem emtor non habet plus juris ex emtione, quam habuerit venditor. 5° Si deponens depoſitario pro cuſtodia promittat pecuniam, non erit depoſitum, ſed locatio conductio, quia pro opera præſtabitur merces; ſic etiam ſi commodatarius commodanti pro uſu rei promittat pecuniam, commodatum abibit in locationem conductionem, quia pro uſu rei dabitur merces.

§ 183.

IV. *Fœnus, aliter contractus fœnebris*, ſeu contractus oneroſus, quo pro uſu rei fungibilis potiſſimum pecuniæ datur certa uſura. Eſt autem uſura omne id, quod pro uſu rei alicujus ſolvitur: Contractus iſte non eſt indiſtinctim jure naturæ prohibitus, quia ſi licet aliquid accipere ab uſu rei non fungibilis, v. g. ab uſu domus, licebit etiam ab uſu rei fungibilis, v. g. pecuniæ, ſicut enim uſus rei non fungibilis habet ſuam utilitatem, & pretium, ita etiam uſus pecuniæ magnam adferre poteſt utilitatem, conſequenter ſuum habet pretium. *Poſtea*, nemo obligatur rei ſuæ uſum jure perfecto alteri gratis dare, ſi iſte viciſſim aliquid dare poſſit, ſecus inanis eſſet dominiorum introductio, ergo poteſt aliquid exigere. *Deinde*, licet ob lucrum

ceſ-

ceſſans, & damnum emergens indeterminatam quidem, ſed etiam magnam uſuram accipere, ergo a fortiori licebit determinatam ſed parvam exigere, per hanc enim magis perficitur debitor, quam per illam, nam parva ſolutione certa redimit incertam, ſed longe majorem ſolutionem. *Præterea*, licitus eſt talis contractus ſocietatis, in quo unus pecuniam, & alter operas in commune lucrum conferunt, ergo etiam contractus fœnebris, in hoc enim, qui pecuniam dat, pro modico lucro cedit alteri omne aliud qualecunque lucrum. *Denique* uſuram exigere ab uſu pecuniæ eſt in ſacris litteris plene permiſſum, Deuter. 23. ergo jure naturæ prohibitum eſſe non poteſt.

Neque dicas pecuniam nullos ferre fructus. Quia licet non ferat naturales, fert tamen induſtriales, pecunia enim omnia poſſunt comparari, domus etiam nullos fert naturales fructus pro ejus tamen uſu licet aliquid exigere, ergo etiam. *Sed debitor fit pecuniæ dominus, ergo illi ſoli debet fructificare.* Etiam creditor eſt dominus pecuniæ in genere, ergo utrique debet fructificare: Et quia debitorem fecit ſpeciei dominum, pro eo poteſt aliquid exigere, hæc enim conceſſio ſuam habet æſtimationem *Sed debitor ex hoc ſpeciei dominio ſentit incommodum, illi enim perit, ergo debet etiam ſentire commodum.* Etiam creditor ſentit incommodum ex abſentia pecuniæ, nempe lucrum ceſſans, ergo etiam debet

bet ſentire commodum, id eſt uſuram. *Sed uſuræ damnantur in veteri, & novo teſtamento, in ſpecie apud Luc. 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes, damnantur item a ſanctis Patribus & Pontificibus.* In veteri teſtamento prohibentur uſuræ exigi a populo judaico, eſtque hoc poſitiva lex, permittuntur autem ab extraneis; In novo teſtamento prohibentur exigi a mutuo, mutuum enim eſt contractus beneficus, pauperibus enim ex caritate gratis ſubvenire obligamur; Sancti autem Patres, & Pontifices damnant *uſuras mordentes*, ſeu tales, quæ uſui pecuniæ, & lucro, quod debitor commode facere poteſt, non attemperantur, ut ſi a 100 flor. pro menſe exigas 50, hoc enim eſſet velle locupletari cum damno alieno, quod non licet.

§ 184.

V. *Cambium, græce Collybus*, ſeu contractus onerofus, quo pecunia cum pecunia permutatur. Aliud eſt *manuale*, dum pecunia permutatur in eodem loco ob aliam ſpeciem monetæ, aliud *traſſatum*, ſeu ſtricte tale, dum pecunia alicui ita datur, ut is pro certa mercede eandem alio in loco certæ perſonæ ſolvi curet. In hoc poſſunt quatuor diverſæ perſonæ occurrere. 1° Campſarius, qui pecuniam dat alibi exolvendam, 2° Campſor, qui pecuniam accipit, 3° Acceptans, qui pecuniam in alio loco exolvit. 4° Præſentans, cui pecunia miſſa exolvitur. Interim

terim campſarius, & præſentans poſſunt una, eademque perſona eſſe, uti ſi ipſi numeranti pecuniam, eadem in alio loco debeat exolvi, ſic etiam campſor, & acceptans, ſi videlicet ille ipſe, cui pecunia numerata fuit, eam in alio loco ſolvat. Quid juris ſit in hoc contractu, debet decidi ex contractu fœnebri, ex contractu permutationis, ex mandato, quia ex his componitur cambium: Cetera poſitiva pertinent ad peculiarem diſciplinam, ad jus cambiale.

§ 185.

VI. *Emphytheuſis*, *latine implantatio*, ſeu contractus oneroſus, quo alicui dominium utile prædii, hoc eſt rei immobilis uſus fructus ea lege conceditur, ut in recognitionem dominii directi certam annuam penſionem ſolvat. Qui dominium utile concedit, vocatur *dominus directus emphytheuſeos*. Qui accipit, *emphyteuta*. Prædium, *res emphytheutica*. Annua penſio, *canon*. Hinc 1° Dominus directus debet prædium tradere, & emphyteuta canonem ſolvere, quia pactum ſervari debet; 2° emphyteuta obligatur prædium meliorare, quia tacite in id conſentit, emphyteuſis enim hac de cauſa invaluit, Romani enim victribus armis varias, ſed incultas occupaverant provincias, quas privatis, ut excolerentur, erga exiguam penſionem conceſſerunt. 3° emphyteutam a canone ſolvendo nec ſterilitas, nec interitus partis prædii excuſat,

quia

quia ex fructibus non accipit menſuram, poteſt enim conſiſtere in re minima, v. g. in danda una gallina, deinde ſolvitur in recognitionem dominii directi, quæ eadem ſemper manet, manereque debet. 4° Canone ſemel non ſoluto. vel prædio ſine conſenſu domini directi vendito non ſtatim amittitur emphyteuſis, niſi aliter fuiſſet conventum, quia hoc ex natura hujus contractus non intelligitur.

§ 186.

VII. *Feudum*, ſeu contractus oneroſus, quo alicui dominium utile conceditur ea lege, ut domino directo fidelitatem præſtet, hoc eſt curam, & diligentiam, ne quid in ejus præjudicium fiat. Qui dat rem feudalem, appellatur *dominus directus feudi.* Qui accipit, *vaſallus.* Hinc dominus directus, & vaſallus obligantur ad mutuam fidelitatem, quia hac de cauſa feudum introductum eſt, quo tempore enim in Germania jus fortioris, vulgo jus pugni viguit, potentiores principes conducebant ſibi plures fideles auxiliatores, quibus eo titulo conferebant uſum fructum variorum fundorum, ac una promiſerunt protectionem. Reliqua poſitiva ſunt, & pertinent ad ſpecialem ſcientiam, ad jus feudale.

§ 187.

VIII. *Societas negotiatoria*, ſeu contractus oneroſus, quo duo, vel plures rem, aut operam in negotiationem conferunt eo fine, ut lucrum ſit commune. Hinc non eſt ſocius, qui nihil confert, quia eſſentiale hujus contractus eſt collatio rei, vel operæ, ſed etiam non eſt ſocius, qui nullum vult ex re collata lucrum, quia non tendit ad finem ſocietatis, finis enim hujus ſocietatis eſt lucrum, vel ad minimum ſpes lucri. Alia eſt *univerſalis*, in qua ſocii omnia ſua bona volunt eſſe communia. Alia *generalis*, in qua ſocii illa tantum bona volunt eſſe communia, quæ ex negotiatione aquirunt. Alia *particularis*, in qua ſocii lucrum tantum ex uno ſingulari negotio volunt eſſe commune, v. g. ex diſtractione vini. In ſocietate negotiatoria ſocii de lucro, damno, & ſorte ſeu collata pecunia dividenda poſſunt pro arbitrio diſponere, quia ſunt domini, cavendum tamen ne unius dolo hoc negotium in *ſocietatem leoninam* degeneret, ut unus ſolus habeat lucrum, & alter ſolus damnum, quia non licet cum damno alterius locupletari. Quod ſi nihil ſit determinatum tunc in *ſocietate univerſali* non modo lucrum, & damnum, ſed etiam ſors eſt communis ita, ut portiones fiant arithmetice æquales, licet unus ſocius minus contulerit, vel ex juſta cauſa plus altero expenderit, quia ex natura hujus ſocietatis omnia

bo-

bona ſunt communia. In ſocietate autem *generali, & particulari* ſua cuique ſors manet ſalva, quia ſocii nolunt eſſe ſortem communem, ſed lucrum tantum, & damnum dividitur, & quidem geometrice, hoc eſt, qui plus contulit, plus lucratur, vel damni patitur, hoc ipſo enim quod ſocii ſortem nolint eſſe communem, volunt, ut lucrum, & damnum a proportione ejus dividatur, quæ diviſio geometrica eſt. Quælibet veto ſocietas convento tempore durare debet, & ideo non poteſt ſociorum quiſpiam invito altero a ſocietate diſcedere, quia pacta ſervanda ſunt.

§ 188.

IX. *Contractus aleatorii*, ſeu tales, quibus ſuper alea, hoc eſt incerto eventu, qui lucrum & damnum adſerre poteſt utrinque convenitur. Alii ſunt *benefici*, ſi quis alteri ſub incerto eventu aliquid gratis promittat, v. g. jactum retis in ſuo fluvio; alii *oneroſi*, ſi promiſſio fiat ſed non gratis, v. g. jctaus retis pro certa ſumma pecuniæ. In oneroſis debet 1° adeſſe proportio inter metum damni, & ſpem lucri, ut nempe tanto majus ſperetur lucrum, quanto majus metuitur damnum, quia in contractibus oneroſis debet ſervari æqualitas. 2° Debet abeſſe dolus, & fraus, quia obeſt æqualitati, hinc, ſi uni contrahentium de eventu conſtet, contractus aleatorius eſt nullus, quia ex parte ejus adeſt do-

lus: At non eſt dolus, ſi v. g. piſcatores in jactu rectis extrahant vas aureum, & ſecum paciſcentibus non tradant, quia de hoc in contractu non fuit cogitatum, ergo nec eſt promiſſum, nec acceptatum. Præcipuæ ſpecies contractuum aleatoriorum oneroſorum ſunt I. Emtio ſpei, ſi ematur res aquirenda incerta, v. g. piſces in jactu retis. II. Loteria, olla fortunæ, dum certa pecuniæ ſumma confertur ea lege, ut per ſortem definiatur, an conferens aliquid lucrari, vel collatæ ſummæ damnum pati debeat. III. Contractus aſſecurationis, dum quis pro certa mercede in ſe recipit præſtationem indemnitatis circa caſus fortuitos, uti ſunt incendia, exundationes &c. IV. Bodemeria, dum pecunia datur in aliquam navim ea conditione, ut navi pereunte pereat etiam pecunia, ſalva autem ad portum veniente lucrum conventum habeat creditor. V. Deciſio per ſortem, dum convenitur, ut aliquid per ſignum fortuito determinatum decidatur, alia ſors eſt *electrix*, quæ oſtendit, quis ex pluribus certam rem obtinere debeat, alia *attributrix*, quæ oſtendit, quid, & quantum quis aquirere debeat, alia *diviſoria*, quæ oſtendit, quam partem quis ex rebus communibus habere debeat: Ad ſortem tunc tantum recurrere licet, quando aliter dubium noſtrum tollere non poſſumus, quia ſecus negligeremus uti facultatibus animæ, nunquam vero ad ſortem divinatoriam, qua quis præſcientiam futurorum

vult

vult obtinere, quia eſt ſuperſtitio. VI. Cenſus vitalitius, dum quis pro certa penſione quotannis usque ad dies vitæ ſolvenda ſuas pecunias tradit. VII. Contractus luſorii, dum inter ludentes ita convenitur, ut determinatum quoddam lucrum ſit ejus, ex cujus parte extiterit certa quædam conditio. Hi contractus pro foro externo ſunt liciti, quia pro foro externo licet etiam abuti rebus noſtris; Ut autem pro foro interno ſint liciti, non debent fieri ſolo animo lucrandi, non cum nimia rerum, & temporis profuſione, quia iſta pro foro interno illicita ſunt

CAPUT XIII

De Jurejurando, aliisque modis, quibus pacta confirmantur.

§ 189.

Pacta confirmare ſignificat, novas addere rationes, ut promiſſum impleatur, habemus jus exigendi confirmationem pactorum, quia eſt medium magis efficax promiſſum implendi, quod ut impleatur, jus exigendi habemus, ſed qui habet jus ad finem, habet etiam ad media; accedit, quod teſte experientia obligatio pactitia frequenter non ſervetur. Neque pugnat hoc cum jure connato bonæ exiſtimationis, quia vi hujus

juris obligamur alios præſumere tantum eſſe juſtos in ſenſu latiſſimo, non vero etiam eſſe bonos. Modi autem, quibus pacta confirmantur, ſunt ſequentes: I. *Juramentum*, quod ut intelligamus, juvat ſcire, quid ſit aſſeveratio, & conteſtatio. *Aſſeveratio* eſt ſermo, quo veracitatem noſtram ſerio confirmamus, *conteſtatio* autem eſt aſſeveratio cum provocatione ad conſcientiam tanquam teſtem, vel ad honorem, & honeſtatem ſuam, *juramentum* vero eſt conteſtatio, qua ad vindictam divinam provocamus, ſi aliter loquimur, quam cogitemus, ſeu eſt invocatio DEI in teſtem, & vindicem ſermonis noſtri. Aliud eſt *promiſſorium*, dum quis promiſſionem a ſe factam juramento firmat, aliud *aſſertorium*, dum quis nudæ tantum aſſeverationi juramentum adjicit. Hinc infantes, dementes, & uſu rationis deſtituti non poſſunt jurare, quia non intelligunt Dei vindictam, ſed nec ille jurat, qui tantum legit formulam juramenti, quia nihil conteſtatur.

§ 190.

Finis juramenti ex parte jurantis eſt, ut verbis ſuis majorem conciliet fidem, quia ſecus non permitteretur jurare. Ex parte autem ejus, in cujus gratiam juramentum deponitur, ut de veracitate jurantis certior reddatur, quia poſt provocationem ad vindictam divinam ceſſat omnis dubitatio, ſi quæ adfuiſſet, de fide jurantis.

Sed

Sed dices jurantem vel eſſe hominem veracem, vel non, ſi primum, habere fidem etiam citra juramentum, ſi ſecundum, tali nec jurato credendum. Equidem homini veraci ſine neceſſitate non eſt imponendum juramentum, ſed ſi illud neceſſitate ita exigente depoſuerit, duplici ex capite ſuis verbis conciliabit fidem, & quia verax eſt & quia, quod talis ſit, Deum in teſtem vocavit. Sed etiam de mendace homine poſt depoſitum juramentum non licet præſumere, ita eſſe malum ut velit Dei omniſcii, omnipotentis, & juſtiſſimi vindictam experiri, ſicut non bene præſumitur de homine, qui tenue filum diſrumpit, rupturum etiam craſſiſſimos funes.

§ 191.

Ad juramentum requiritur 1° *judicium*, ut nimirum jurans prius dijudicet, an adſit ſufficiens cauſa jurandi, videlicet major quædam utilitas, vel neceſſitas, quia ſecus actio erit temeraria, ſine certo fine facta. 2° *juſtitia*, ne quis fallatur, damnificetur, quia ſecus obtentu religionis alter læderetur. 3° *veritas*, ne mendacium juramento confirmetur, quia ſecus jurans abuteretur divino nomine, Deum enim vocaret in teſtem falſæ locutionis. Qui autem his requiſitis inſtructum deponit juramentum, illuſtrat gloriam Dei, quia veram habet de Dei perfectionibus cognitionem, & ex illis motiva ſuæ

actionis deſumit, quod eſt illuſtrare gloriam Dei.

Equidem apud Matth. cap. 5. *legimus: Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Verum prohibentur tantum juramenta ſine neceſſitate, & ex levi animo præſtita, nam Jeremiæ cap. 4. *Et jurabis, vivit dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

§ 192.

Motiva, quæ jurantem impellere debent ad dicendam veritatem, vel pactum ſervandum ſunt omniſcientia, omnipotentia, & juſtitia Dei, quia ſecus fruſtra, & eluſorie provocat ad vindictam, nullam ſuis verbis conciliat fidem. Hinc inutile eſt jurare per caput principis, per ſolem, anſerem &c, quia hæc non ſunt Deus, nemo pro ente omniſcio, omnipotente, & juſto agnoſcere poteſt, ſic etiam inutile eſt juramentum athei, quia nullum agnoſcit Deum; inutile epicurei, quia non agnoſcit Deum eſſe omniſcium, & omnipotentem. Hac de cauſa juramentum religioni jurantis eſt accomodandum, quia ſecus fieri poſſet, ut juret quis per ens, quod non agnoſcit pro omniſcio, omnipotente, & juſto. Niſi jurans falſos Deos coleret, a tali enim nec juramentum acceptare, nec ei deferre licet, quia non licet eſſe cauſam moralem actus idololatrici.

Sed

Sed objicies, qui ab idololatra acceptat juramentum, vel eidem defert non eſt cauſa erroneæ illius de Deo opinionis, ergo nec actus idololatrici. Nego conſequentiam, quia eſt cauſa moralis, quod jurans ſecundum ſuam erroneam opinionem ponat actum idololatricum, ſi enim ei juramentum non deferretur, aut oblatum non acceptaretur, non juraret; Sicut licet non ſim cauſa moralis, quod alter ſit ſtultus cum furore, non licet tamen ei tunc gladium porrigere ad ſe, vel alium occidendum, ſecus enim eſſem cauſa moralis homicidii. *Sed hac ratione non haberemus medium pacta confirmandi.* Nequaquam, habemus enim oppignorationem, fidejuſſionem &c. Deinde nunquam licet medio illicito uti ad conſequendum finem. *Sed Abraham acceptavit juramentum a rege Abimelech, Jacob ab avunculo Laban, Machabæi a romanis idololatris.* Negatur, nam Abimelech juravit per verum Deum, dixit enim Gen. cap. 21. Deus tecum eſt in univerſis, quæ agis. Laban etiam juravit per verum Deum, dixit enim: Gen. cap. 31. Deus Abraham judicet inter nos. Machabæi autem a romanis non juramentum, ſed fœdus acceptarunt. Machab. L. 1. cap. 8. & 12.

§ 193.

Juramentum ratione *objecti* non parit duplicem obligationem, ut, ſi quis alicui promiſit centum aureos, & promiſſum ſuum juramento

confirmavit, propter juramentum non obligatur dare ducentos: quia per juramentum plus non promittit, ſed tantum prius promiſſum firmat, ratione tamen *ſubjecti* ex juramento nova accedit obligatio, quia novum motivum ſervandi promiſſum, nempe metus vindictæ divinæ, jam autem obligatio eſt connexio motivi cum actione. Hinc in omni promiſſione jurata adeſt duplex obligatio, una juſtitiæ, & altera religionis, quia in tali promiſſione adeſt pactum, & juramentum, jam autem pactum parit obligationem juſtitiæ, & juramentum obligationem religionis. Hæ tamen duæ obligationes non ſunt neceſſario inter ſe connexæ, quia poteſt pactum eſſe absque juramento, & juramentum absque pacto. De juramento duæ regulæ veniunt notandæ: I. *Omne juramentum ſervari debet* (jure interno) *quod ſervari poteſt ſine diſpendio animæ,* hoc eſt, ſi quis fecit phyſice, & moraliter poſſibilem promiſſionem ſed absque acceptatione, vel cum acceptatione, ſed ſine jure facta v. g. metu injuſto compulſus promiſit latroni ſub juramento 100 aureos, obligatur ſervare promiſſum, quia ſecus violaret obligationem religionis, abuteretur divino nomine.

Sed juramentum ex non pacto non facit pactum. Verum eſt, neque eſt hic obligatio promiſſum ſervandi ex pacto, quod nullum eſt, ſed ex juramento, quod licitæ promiſſioni adjectum fuit. *Sed qui jurat ſibi manum amputaturum*

turum non obligatur ſervare juramentum, ergo etiam. Diſparitas eſt, quia ille promittit rem moraliter impoſſibilem, iſte autem phyſice, & moraliter poſſibilem.

§ 194.

II. Regula: *Juramentum ſequitur naturam actus, cui adjicitur*, hoc eſt ſi quis fecit promiſſionem vel phyſice, vel moraliter impoſſibilem, eamque juramento confirmavit, tunc nulla naſcitur obligatio, non juſtitiæ, quia de re phyſice, vel moraliter impoſſibili nullum eſt pactum; non religionis, quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis; & ipſa depoſitio talis juramenti adverſatur reverentiæ Deo debitæ; Sic etiam ſi quis promittat rem phyſice, & moraliter poſſibilem ſub expreſſa, vel tacita conditione, promiſſumque ſuum juramento confirmet, deinde vero conditio deficiat, tunc nullum eſt juramentum, nulla obligatio illud ſervandi, v. g. ſi quis gemmas ſpurias pro genuinis emat, & juret ſe pretium ſoluturum, tacite intelligit, ſi gemmæ ſint genuinæ, quæ ſi reipſa ſpuriæ fuerint, nihil tenetur ſolvere: quia per juramentum tantum promiſſio facta confirmatur, ſi ergo promiſſio deficiente conditione evadat nulla, etiam juramentum eſt nullum, nihil enim adeſt, quod confirmaret.

Dices: datæ duæ regulæ ſibi contradicunt: Minime gentium: Nam prior docet ſervandum

eſſe

eſſe juramentum omne, quod validum eſt, poſterior autem, non eſſe ſervandum, quod nullum eſt.

§ 195.

Pejeratio eſt juramentum ejus, qui ſe verum dicere jurat, dum ſciens falſum dicit, ſeu juratum mendacium. *Perjurium* autem eſt violatio juramenti promiſſorii, ſeu jurata perfidia. Pejeratio eſt prohibita, quia ad juramentum requiritur judicium, juſtitia, & veritas, ſed etiam perjurium, quia promiſſionem juratam & ex juſtitia, & ex religione obligamur implere. Imo ſunt ſpecies blaſphemiæ, quia pejeratio eſt dictum in contumeliam Dei vergens, perjurium autem eſt factum in contumeliam Dei vergens, Dei enim omniſcientia, omnipotentia, & juſtitia, ad quam provocatum fuit, nihili penditur, jam autem omnis blaſphemia prohibita eſt.

§ 196.

II. *Oppignoratio*, ſeu contractus, quo debitor creditori jus in re certa conſtituit ea conditione, ut, ſi debitum intra determinatum tempus non ſolverit, ipſi ex eadem ſatisfiat. Res oppignorata vocatur *pignus in genere*, jus creditori aquiſitum, *jus pignoris*, ſi res oppignorata creditori tradatur, dicitur *pignus in ſpecie*, ſi vero maneat penes debitorem, quod plerumque fit in re immobili, *hypothetica*. Hinc

1° Cre-

1° Creditori re oppignorata non licet uti frui; quia ejus dominus non eſt, jus enim in re habet tantum ob ſecuritatem debiti, niſi ipſi uſus fructus a debitore concedatur per pactum adjectum, quod *antichreſeos* appellatur, quia debitor, utpote dominus rei oppignoratæ de rebus ſuis poteſt pro libitu diſponere. 2° Si pignus intra definitum tempus non *reluatur*, ſeu debitum, ob quod fuit pignus conſtitutum, non ſolvatur, creditor habet jus illud vendendi, vel ſibi ut proprium retinendi, quia habet jus ex re oppignorata ſibi ſatisfaciendi: *Hyperocham* tamen, ſeu illud rei pretium, quod debitum excedit, retinere non poteſt, quia ſecus locupletaretur cum damno alterius. 3° Si pignus caſu pereat, propterea debitor ab obligatione debitum ſolvendi non liberatur, quia caſus nocet domino. Habet quidem creditor oppignoratione etiam non facta naturale quoddam tacitum pignus in omnibus bonis debitoris, quia debitor habet obligationem omni poſſibili modo, conſequenter etiam ex bonis ſuis creditori ſatisfaciendi, cui obligationi ex parte creditoris correlatum eſt jus, hoc tamen indeterminatum eſt, illud vero determinatum, ergo vi juris pignoris expreſſi poteſt rem oppignoratam a quocunque detentore vindicare, non item vi juris pignoris taciti.

§ 197.

III. *Fidejuſſio*, ſeu contractus, quo quis promittit ſe præſtiturum, quod alius debet, niſi ipſe præſtiterit. Hinc 1° in fidejuſſione duo ſunt debitores, *principalis*, pro quo fidejubetur, & *acceſſorius*, ſeu fidejuſſor. 2° Fidejuſſor habet *beneficium ordinis*, hoc eſt non tenetur prius ſolvere, quam fuerit *excuſſus* principalis debitor, ſive antequam fuerit inquiſitum in ejus facutates, an ſit, vel non ſit ſolvendo; quia fidejuſſor ſe obligavit ſub conditione, ſi debitor principalis non ſolverit, jam autem non conſtat prius illum non eſſe ſolvendo, quam ubi fuerit excuſſus. 3° Si debitum principale ſit nullum, etiam fidejuſſio eſt nulla, quia in fidejuſſione promittit quis ſe id tantum ſoluturum, quod alius debet, ſi ergo alius nihil debeat, fidejuſſor ad nihil obligatur. *Sic etiam*, ſi principalis debitor præſtitit debitum, acceſſorius ad nihil obligatur, quia acceſſorius ſe tantum ſub conditione obligavit, ſi principalis non ſolverit, ſi ergo ſolvit, deficit conditio, jam autem deficiente conditione, deficit etiam conditionatum. IV. *Cautio*, ſeu actus, quo quis de re ſecurus redditur. Alia eſt *verbalis*, uti nude promiſſoria, juratoria, & fidejuſſoria, alia *realis*, uti pignoratitia, & corporalis, ſi v. g. debitor in cuſtodiam detur. Hinc 1° omnis cautio eſt tantum acceſſoria obligatio, quia ſupponit princi-

palem

palem, quam confirmat. 2° Nulla cautio, qua talis ſola ſubſiſtere poteſt, quia repugnat acceſſorium absque principali ſubſiſtere; & alterum de re nondum promiſſa ſecurum reddere.

CAPUT XIV.

De modis, quibus obligationes, & contractus ceſſant.

§ 198.

In genere ceſſat obligatio ex contractu, ſi efficiatur, ut, qui alteri erat obligatus ad aliquid dandum, vel faciendum, eidem eſſe obligatus deſinat. Hoc autem in *ſpecie* variis modis fieri poteſt. I. *Solutione debiti*, ſeu actuali debiti præſtatione, quia ſolutione facta ceſſat jus creditoris, ſi etenim jam præſtitum, iterum exigeret, læderet debitorem, ergo etiam obligatio debitoris, utpote quæ tantum juri creditoris erat correlata. *Verum ſolutio debet eſſe vera*, & *præciſa*, hoc eſt, debet totum, loco tempore, & modo convento præſtari, quia hæc ſunt pars debiti, ſecus pactum non ſervaretur. *Hinc non licet dare in ſolutum*, hoc eſt aliud pro alio ſolvere, v. g. frumentum pro pecunia, quia ſolutio debet eſſe præciſa. Niſi 1° creditor con-

ſentiat, quia in juribus permiſſivis volenti non ſit injuria, 2° præciſa ſolutio ſit impoſſibilis, quia ad impoſſibilia non datur obligatio. II. *Compenſatione*, ſeu dum debitor creditori id in ſolutum imputat, quod hic illi debet, ſive dum debitor, & creditor ſibi reciproce brevi manu ſolutionem faciunt, quia compenſatio eſt ſolutio brevi manu, ſed ſolutione ceſſat obligatio, ergo etiam compenſatione. Verum ea tantum poſſunt compenſari, quæ ſunt æquivalentia, uti pecunia cum pecunia, non vero *debitum liquidum*, ſeu tale, in quo certo conſtat, quid, quantum, & quale debeatur, cum *illiquido*, quod probari non poteſt, aut vero genus cum genere diverſo v. g. vinum cum frumento, quia non licet dare in ſolutum invito creditore, compenſatio autem eſt ſolutio brevi manu.

§ 199.

III. *Debiti oblatione*, hoc eſt, ſi debitor ſolutionem præciſam creditori offerat, iſte vero ſine cauſa non admittat, liberatur ab obligatione, quia fecit omnia, ad quæ erat obligatus. Hinc ſi res oblata interea caſu pereat, perit creditori, quia ille debet ferre damnum, cui illud imputari poteſt, ſed ſoli creditori ob moram poteſt imputari; Hac de cauſa vera eſt regula: *mora nocet moroſo*. IV. *Interitu rei in ſpecie debitæ*, v. g. vendidi in ſpecie domum, quæ ante traditionem incendio conflagravit, illam tradere

amplius non teneor, licet pretium ejus perceperim, imo ſi nondum mihi numeratum fuit, exigere poſſum. Quia rem, quæ perit, impoſſibile eſt præſtare, ad impoſſibilia autem non datur obligatio; Deinde caſus nocet domino, rei autem in ſpecie promiſſæ ante traditionem acceptans fit dominus. Si tamen interitus rei imputari poſſit debitori, tenebitur ad damni reparationem, quia fuit cauſa moralis damni. *Quod autem hoc in ſtatu civili non obtineat*, ratio eſt, quia ibi dominia rerum non pactionibus, ſed traditionibus transferuntur.

§ 200.

V. Ceſſat obligatio *elapſo tempore*, *mutato ſtatu*, *deficiente conditione*, quæ ad iſta fuit reſtricta, quia ex pacto nemo magis obligatur, quam ſe obligatum velle declaraverit. VI. *Perfidia alterius* in contractibus oneroſis, quia his tacita ineſt conditio; *præſtabo, ſi & tu præſtiteris*, neuter enim dat aliquid gratis, ſed hæc conditio per alterius perfidiam deficit, ergo etiam pactum, & obligatio. Interea pars innocens habet jus perfidum cogendi, ut pactum ſervet, quia non ſervando pactum lædit, contra lædentem autem datur jus cogendi. VII. *Pacto liberatorio*, dum videlicet obligatio ante conſtituta per paciſcentes tollitur, quia extinguitur jus creditoris, quilibet enim juribus permiſſivis renuntiare poteſt, ergo etiam extingui-

tur obligatio debitoris. Hoc vero dupliciter fieri poteſt, *vel ita,* ut unus contrahentium alteri gratis debitum remittat, quod *acceptilatio, vel pactum de non petendo* vocatur, *vel ita,* ut uterque contrahentium in contractu oneroſo ſibi debitum remittant, quod *mutuus diſſenſus* dicitur; ſi v. g. emtorem, & venditorem pœniteret feciſſe emtionem venditionem, hancque pœnitudinem ſibi invicem declararent re adhuc integra, nimirum ante traditionem, nam poſt hanc deberet fieri retrovenditio, atque ſicut mutuo conſenſu contractum concluſerant, ita mutuo diſſenſu eundem dirimerent. Quod ſi pacto priori adjunctum fuit *juramentum ſed tantum promiſſionem confirmans,* tunc per pactum liberatorium ceſſat etiam obligatio religionis, quia ceſſat juramentum, hoc enim ſequitur naturam actus cui adjicitur. *Si vero paciſcentes jurarunt ſe nunquam diſſolvere velle pactum,* tunc, etſi per pactum liberatorium pro foro externo ceſſet obligatio juſtitiæ, non ceſſat tamen pro foro interno obligatio religionis, quia hæc promiſſio eſt phyſice, & moraliter poſſibilis, atque diſtincta ab ipſo pacto, jam autem omnis phyſice, & moraliter poſſibilis jurata promiſſio debet ſervari, omne enim juramentum ſervari debet, quod ſervari poteſt ſine diſpendio animæ.

§ 201.

§ 201.

VIII. *Novatione*. Eſt autem novatio pactum quo prior obligatio in aliam mutatur manente eodem debitore, & creditore, ut ſi mutetur tantum debendi cauſa, v. g. ut qui tenebatur ex depoſito, teneatur ex mutuo: vel ſi mutetur modus debendi, ut, qui tenebatur totum ad ſemel ſolvere, teneatur per partes. Per novationem tollitur prior obligatio, quia paciſcentes mutuo conſenſu eam in aliam novam transformant. Hinc novatione facta omnes priori obligationi adnexæ obligationes veluti fidejuſſio & pignora ceſſant, quia ruente fundamento ruit etiam ſuperædificatum. IX. *Aſſignatione*. Eſt vero aſſignatio actus, quo debitor alium ſubſtituit, qui vice ſua ſolvat creditor · nondum conſentiente. Qui ſubſtituit, vocatur *aſſignans*, ſubſtitutus autem *aſſignatus*; Per aſſignationem non ceſſat obligatio primi debitoris niſi creditor conſentiat, quia creditor habet jus a primo debitore, qui debitum contraxit, exigendi, nemo autem invitus jure ſuo privari poteſt. X. *Delegatione*, quæ eſt pactum, quo creditori acceptanti debitor in locum ſui alium debitorem expromittentem ſubſtituit. *Expromittere* is dicitur, qui obligationem alterius principalem in ſe ſuſcipit, & vocatur *delegatus*, debitor principalis, *delegans*, creditor, *delegatarius*. Hæ tres perſonæ debent conſentire, quia inter illas

intercedit pactum, quod ſine conſenſu nullum eſt; In ſpecie autem *delegans* debet conſentire propterea, quia nemini invito poteſt obtrudi beneficium, cui renunciare licet: *Delegatus* propterea, quia nemo invitus poteſt cogi ad debita alterius expungenda; *Delegatarius* denique propterea, quia nemo invitus poteſt privari jure, quod habet in ſuum debitorem. Et tunc quidem per delegationem debitor principalis ab obligatione ſua liberatur, etiamſi ſecundus debitor non eſſet ſolvendo, quia conſentiendo in ſecundum debitorem creditor primo debitori donat debitum, donationis autem non datur repetitio.

§ 202.

XI. *Ceſſione*, quæ eſt pactum, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero, ut ei fiat ſolutio. Qui jus ſuum in alterum transfert, eſt *cedens*, in quem vero transfertur, vocatur *ceſſionarius*. Hi duo debent conſentire, quia faciunt pactum: Deinde *cedens* invitus jure ſuo privari non poteſt, ſed nec *ceſſionario* invito datur beneficium. Conſenſu autem debitoris non eſt opus, quia creditor poteſt de jure ſuo pro libitu diſponere etiam inſcio, atque invito debitore, dummodo is nullum inde damnum habeat: Non eſt ergo hujus rei illa ratio, ac ſi cedens eſſet mandans, ceſſionarius autem ejus mandatarius, quia tunc non eſſet ceſſio facta,

nam

nam ceſſionarius ſibi, mandatarius autem mandanti aquirit. Hinc per ceſſionem reipſa obligatio debitoris non extinguitur, quia idem debet præſtare ceſſionario, quod debebat cedenti. XII. *Confuſione debiti, & crediti*, dum ſcilicet vel debitor in perſonam creditoris, vel creditor in perſonam debitoris ſuccedit, ut, ſi creditor fieret heres debitoris. Quia tunc creditor, & debitor unam efficiunt perſonam moralem, nemo autem ſibi ipſi ex contractu aliquid debere poteſt, nemo enim ſecum ipſo paciſci valet. XIII. *Morte*, quod relate ad mortuum verum eſt, quia mortuus nullius amplius juris, aut obligationis eſt capax: Relate autem ad creditores diſtinguendum eſt: ſi jura ſint *realia*, ſeu talia, quæ fundantur in rebus, in quibus magis rei, quam perſonæ habetur ratio, v. g. in emptione venditione, hæc morte non extinguuntur, ſed transeunt ad heredes, quia ad eos transeunt etiam res. Si vero ſint *jura perſonalia*, quæ in determinatis qualitatibus perſonæ fundantur, v. g. in dexteritate, prudentia, uti in ſocietate, mandato, hæc morte debitoris penitus extinguuntur, quia hæ qualitates ad heredes non transeunt.

CAPUT XV.

De Legum, ac Pactorum interpretatione.

§ 203.

Interpretari aliquid ſignificat verum ejus ſcopum declarare, interpretatio alia eſt *rerum*, dum explicamus, quid res denotent, alia *verborum*, dum exponimus, quid verba ſignificent. Hinc interpretari leges, pacta, teſtamenta eſt voluntatem legislatoris, paciſcentium, teſtatoris ex eorum verbis, aliisque ſignis declarare. *Etiam in jure naturæ neceſſaria eſt interpretatio.* Quia neceſſarium eſt legibus, pactis, & teſtamentis ſatisfacere, jam autem hoc ſæpe ſine interpretatione obtineri nequit, ita enim ambiguis, & obſcuris verbis, ſignisque exprimuntur, ut nec intelligi, adeoque nec obſervari valeant.

Fruſtra dicis 1° *artem interpretandi pertinere ad logicam, & criticam.* Quia generales interpretandi regulæ, quæ in illis diſciplinis traduntur, in jure naturæ applicari debent variis caſibus; 2° *Leges naturales eſſe evidentes.* Equidem primariæ tales ſunt, at remotiores ſine ratiocinio, & interpretatione evolvi nequeunt.

3° *Le-*

3° *Leges naturales non verbis, ſed factis eſſe promulgatas.* Ergo opus eſt interpretatione rerum, ut ſciamus, quid illa ſibi facta velint, *deinde* leges naturales explicantur verbis, pacta exprimuntur verbis, aliisque ſignis variam ſignificationem habentibus, ergo indigent declaratione. 4° *Leges naturales venire a ſapientiſſimo legislatore, qui obſcure locutus non eſt.* Neque dicimus eas ex parte legislatoris eſſe obſcuras, ſed ex parte noſtri intellectus ſive ob pravos affectus, ſive vincibilem ignorantiam, ſive vagam verborum vim.

§ 204.

Interpretatio autem debet eſſe *recta*, quæ nimirum per regulas interpretandi demonſtratas inſtituitur, quia talis verum rerum, & verborum ſcopum declarat, ut adeo ex ſola tali poſſimus eſſe certi de voluntate loquentis. Sic mala eſſet pactorum interpretatio, quam quis vel ex mente tantum promittentis, vel ex mente tantum acceptantis faceret, quia poſſet promittens ſuam promiſſionem eludere, ut, ſi promiſit 100 aureos, dicat ſe intellexiſſe chartaceos, ſed etiam acceptans poſſet plus juris prætendere, quam promittens transferre voluerit, ut, ſi dicat ſe per aureos non intellexiſſe ſimplices, ſed duplos, vel plane triplos, atqui hoc abſurdum eſt, ſic enim omnis pactorum vis evaneſceret. Tales vero regulæ interpretandi ſunt

I. *Verba, & ſigna debent ſumi in communi uſu loquendi ejus temporis, quo ſunt adhibita.* Quia ſecus præſumeremus loquentem a fine ſermonis receſiſſe, quod ob jus connatum bonæ exiſtimationis non licet, niſi adſint urgentes rationes in contrarium, quia ſecus ſequeretur vel abſurdum, vel verba nihil ſignificarent, quod præſumi non poteſt. Hinc 1° in interpretatione legum, & pactorum antiquorum verbis debet tribui ſignificatio antiqua, recentioribus ſignificatio hodierna, quia iſte eſt verborum communis uſus loquendi ejus temporis, quo ſunt adhibita, in tali autem ſignificatione debent ſummi verba, ſic fur olim ſignificabat ſervum. 2° Termini artium technici debent accipi in ſignificatione, quam illis artis periti dederunt, quia talis ſignificatio eſt illorum terminorum communis uſus loquendi, ſic oratoribus *majeſtas* eſt ſingularis quædam moderatio, juriſtis autem imperium civile. 3° Nunquam vero licet ita interpretari verba alterius, ac ſi reſtrictione pure mentali fuiſſet uſus, quia præſumeretur fuiſſe mentitus, quod ob jus connatum bonæ exiſtimationis non licet.

§ 205.

II. Regula: *Si autem ſive ſingula verba,* v. g. Gallus, jus, *ſive integræ conſtructiones,* v. g. lego Cajo mille, cum duo poſſint eſſe Caji, & per mille vel aurei, vel floreni, vel

ulnæ

ulnæ poſſint intelligi, *in communi uſu loquendi plures admittant ſignificationes, tunc primum ſpectari debent circumſtantiæ loquentis, loci, temporis, &c. juxta verſiculum: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Quia tales circumſtantiæ ſæpe determinant ſenſum vocabulorum, in quo illa loquens adhibuit, ergo declarant veram voluntatem loquentis; in quo recta interpretatio ſita eſt. *Deinde, ſi his adjunctis in examen vocatis nondum conſtet de mente loquentis, conſideranda eſt* 1° *ſubſtrata materia,* 2° *aliquis effectus,* 3° *conjuncta, ſeu contextus.* Eſt autem *ſubſtrata materia* objectum, de quo ſermo fit, adeoque verba accipienda ſunt tanquam objecto conformia, quia ſecus præſumeremus alterum ſine attentione, ratione, & judicio fuiſſe locutum, quod non licet. Ut aliquem *effectum* ſeu utilitatem habeant verba, nihil phyſice, vel moraliter impoſſibile ſequi debet, quia talia ob jus connatum bonæ exiſtimationis de nullo præſumere licet. *Conjuncta* ſunt illa, quæ de re eadem, vel affinitatem quamdam cum ea habente ab eodem dicuntur; alia ſunt *conjuncta & origine, & loco,* id eſt, quæ dicta ſunt & ab eodem auctore, & in eodem libro, alia ſunt *conjuncta origine tantum, ſeu loca parallela,* quæ ab eodem auctore ſed in diverſis libris ſcripta ſunt. In utroque modo conjunctis ita facienda eſt interpretatio, ut verba obſcura per alia clara exponantur, & conſequentia cum

antecedentibus cohæreant, quia ſecus præſumeremus auctorem ſibi ipſi contradicere, quod non licet. Sic ſi quis pro ſuis conſanguineis fecit teſtamentum, quorum cuilibet legavit aliquot aureos, & in fine ſubjungit: *Cajo autem lego* 10000, per Cajum debet intelligi Cajus conſanguineus, & per mille, aurei.

§ 206.

III. *Regula: In interpretatione potiſſimum attendi debet ad rationem, ad motivum, quod auctorem ad loquendum movit.* Quia cognita ratione, & motivo, cognoſcitur loquentis voluntas, hæc enim motivis determinatur, jam autem recta interpretatio in eo conſiſtit, ut vera voluntas loquentis declaretur. Hinc 1° ratio eſt anima legum, pactorum, teſtamentorum, quia cognita ratione cognoſcitur lex, pactum, teſtamentum. 2° Ceſſante ratione legis unica ceſſat lex, quia ceſſante ratione ſufficiente ceſſare debet rationatum. 3° Cœcus eſt interpres, & legulejus, qui in legibus naturalibus interpretandis non reſpicit ad naturam hominis, ejusque finem, quia non ſcit rationem legum naturalium, hæc enim ex natura hominis ejusque fine diſcenda eſt, quæ nimirum voluntatem Dei obligatoriam declarant. 4° Cœcus eſt interpres, qui in legibus poſitivis interpretandis non habet præ oculis hiſtorias, quia talis non intelligit rationem legum poſitivarum, conſequenter mentem, & volun-

luntatem legislatoris non aſſequitur, quod recta interpretatio requirit, ratio enim legum poſitivarum deſumnni debet a variis circumſtantiis, pro quibus feruntur, circumſtantias autem continent hiſtoriæ.

§ 207.

Porro interpretatio verborum triplex eſt: *Declarativa*, dum ratio legis cum verbis eosdem habet limites, ſeu dum quis tantum eſt locutus, quantum cogitavit, tunc verba in communi uſu loquendi debent ſumi, & tantum explicari, quia ſic vera voluntas loquentis ſufficienter declaratur, v. g. non occides. *Extenſiva*, dum ratio legis latius patet, quam verba, ſeu dum quis minus eſt locutus, quam cogitaverit, tunc verba ob identitatem rationis volendi ad alios etiam non comprehenſos caſus extendi debent, v. g. lex, quæ ad impediendam cariſtiam prohibet evehi frumentum, prohibet etiam evectionem farinæ, quia ſecus voluntatem loquentis veram non declararemus. *Reſtrictiva*, dum verba latius patent, quam ratio legis, ſeu dum quis plus eſt locutus, quam cogitaverit, tunc ob defectum rationis volendi aliqui caſus ſub verbis comprehenſi debent eximi: Sic lex, quæ ſub pœna capitis prohibet in via fundi ſanguinem, non comprehendit chyrurgum, qui in via ægrotanti venam aperit, quia ſecus veram loquentis voluntatem non aſſe-

que-

queremur. Hinc non licet *in fraudem* legis, vel pacti, vel teſtamenti agere, hoc eſt aliquid facere, quod non quidem verbis, menti tamen legislatoris, vel paciſcentis, vel teſtatoris adverſetur, quia hoc eſt agere contra voluntatem legislatoris paciſcentis, & teſtatoris, ergo eſt violare legem, pactum, teſtamentum, quod non licet.

Grotius, *Puffendorſius pro interpretatione dant hanc regulam: odia ſunt reſtringenda, favores ampliandi.* Verum pro jure naturæ inutilis eſt 1° quia nemo hucusque exactam odioſi, & favorabilis dedit definitionem, 2° quia idem ſub diverſo reſpectu poteſt eſſe odioſum, & favorabile, v. g. pœna reſpectu læſi favorabilis eſt, reſpectu autem lædentis odioſa, ergo idem deberet & reſtringi, & ampliari, quod contradictorium eſt, 3° quia ſæpe ex ratione legis, aliisque conjecturis pœnas extendere, præmia vero oportet reſtringere.

CAPUT XVI.

De remediis, quibus jus ſuum perſequi liceat in ſtatu naturali.

§ 208.

Quilibet homo habet jus adhibendi media, ut alii officia erga Deum, erga ſe, & erga

alios

alios obſervent, quia in obſervantia horum officiorum conſiſtit hominum perfectio, ad quam promovendam quilibet habet jus, ſed qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media. Verum *ad cultum Dei internum* nemo poteſt cogi phyſice, quia cultus Dei internus conſiſtit in actionibus internis, in quas coactio phyſica non cadit. *Sed nec ad cultum Dei externum* poteſt quis cogi phyſice, quia iſte dependet ab unius cujusque arbitrio, in ſtatu enim naturali ritus, & ceremoniæ non ſunt determinatæ, jam autem quilibet eſt independens ab arbitrio alterius. Denique *nec ad officia ſibi ipſi debita, aut ad officia erga alios imperfecta* poteſt ullus phyſice cogi, quia qui hæc officia negligit, alterum non lædit, jam autem tantum contra lædentem datur jus cogendi. Hinc in iſtis caſibus inſcios, & errantes debemus erudire, ad conſilia, perſuaſiones, preces, aliasque coactiones internas recurrere, quia duo ſunt media aberrantes ab officio ad frugem revocandi, videlicet coactio externa, & coactio interna, jam autem in dictis caſibus coactio phyſica non habet locum, ergo.

§ 209.

Si autem ab aliquo læſio animi, corporis, vitæ, membrorum, ceterarumque rerum ſive immineat, ſive actu inferatur, ſive jam præceſſit, neque poſſit aliter, quam malis phyſicis,

co-

coactione externa averti, tunc hoc facere licet, quia tunc coactio phyſica eſt medium unicum, & neceſſarium ſe, resque ſuas conſervandi, jam vero qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media. Hinc coactio phyſica ob conflictum licita triplicem habet finem 1° ut contra imminentem læſionem ſecuri reddamur, quia habemus jus ſecuritatis. 2° ut præſentem depellamus, quia habemus jus defenſionis, 3° ut pro præterita nobis ſatisfiat, quia habemus jus exigendi reparationem damni. *Quamdiu tamen ſufficiunt media leniora ad læſionem avertendam, tamdiu non licet adhibere duriora*, ſic, ſi injuria poſſit arceri verbis, non eſt opus minis, ſi hæ ſufficiant, illicita eſt violentia. Quia ideo licet adhibere media duriora, quia ſunt neceſſaria, ſed quamdiu leniora ſufficiunt, tamdiu duriora non ſunt neceſſaria, ergo.

§ 210.

Ex his principiis fluit in ſtatu naturali neminem poſſe rem litigioſam ſtatim ſibi vi aſſerere, verum probare debet, quia probatio eſt lenius medium, quam vis. *Litigare* autem dicuntur, quando duo, vel plures de jure eodem ſibi competente mutuo contradicunt. *Lis* eſt mutua duorum, vel plurium de eodem jure contradictio. *Probare* vero ſignificat rem dubiam, vel ignotam alteri certam reddere. Hinc, qui ſe fundat in juribus connatis, in naturali æqualitate, li-

ber-

bertate, bona exiſtimatione, juſta ignorantia, ea probare non debet, quia probari debent, quæ ſunt dubia, vel ignota, hæc autem ſunt manifeſta, ex natura enim humana intelliguntur omnibus ineſſe, *Sola itaque facta, & jura aquiſita debent probari*, quia de his poteſt vel dubium oriri, vel poſſunt ignorari, non enim intelliguntur ex natura humana abſolute conſiderata. Et quidem circa factum, ex quo ſibi quis jus natum contendit, debet probari *primum*, an illud extiterit, quia factum eſt ratio juris, non exiſtente autem ratione non exiſtit rationatum; *deinde*, an factum fuerit juſtum, hoc eſt aptum ad jus producendum, quia ex injuſto non poteſt jus naſci, actus enim jure naturæ prohibitus eſt nullus.

§ 211.

Quis vero debeat probationem inſtituere, hæc eſt regula: *Affirmanti incumbit probatio:* Quia affirmans jus ſuum prætendit ex facto vel *proprio*, vel *alieno*, eoque vel *licito*, v. g. ſi petat 100 flor. ex mutuo, vel *illicito*, v. g. ex illato damno petat ejusdem reparationem, jam autem facta probari debent. *Deinde*, quando affirmans jus ſuum prætendit ex facto *proprio*, adverſarius ſe fundat in jure connato juſtæ ignorantiæ, facta enim aliena juſte poſſunt ignorari, v. g. rei, quam ego bona fide poſſideo, dicit ſe eſſe proprietarium ex emptione venditione, debet pro-

probare dominium; quando autem affirmans jus ſuum prætendit ex facto *alieno licito*, adverſarius habet pro ſe jus connatum libertatis, vi cujus quisque immunis eſt ab obligatione alteri aliquid præſtandi, v. g. petit a me ex mutuo 100 flor. debet probare initum fuiſſe mutuum; quando denique affirmans jus ſuum prætendit ex facto *alieno illicito*, adverſarius ſe fundat in jure connato bonæ exiſtimationis, vi cujus non licet præſumere ab altero fuiſſe factum illicitum poſitum, v. g. petit reparationem damni, debet probare læſionem, jam autem jura connata non debent probari, ergo. *Niſi quis affirmet, ſe, quod fecit, juſte feciſſe*, v. g. juſte rem aliquam poſſidere, tunc enim negans debet probare, quia affirmans ſe fundat in jure connato bonæ exiſtimationis, & juſtæ ignorantiæ, quæ probari non debent, negans autem ſe fundat in facto alieno illicito, facta autem probari debent. Hinc ex hoc etiam capite melior eſt conditio poſſeſſoris, quod onus probandi rejiciat in adverſarium.

§ 212.

Probatio alia eſt *artificialis*, quæ fit per indicia veritatis, ex ipſa negotii natura deſumpta, v. g. per inſpectionem rei ocularem, per adjuncta cum facto connexa, uti ſi aliquis fuiſſe homicida ex eo concludatur, quod occiſum oderit, ei ſit mortem minatus, ſtruxerit inſidias, ab eo mortuo viſus ſit fugere, cum cruento gladio &c.

Alia

Alia *inartificialis*, quæ fit per juramentum, vel inſtrumenta litteralia, vel teſtes. Juramentum alteri delatum probat propterea, quia non poteſt præſumi alter pejeraſſe; Inſtrumenta autem litteralia non ficta propterea, quia non poteſt præſumi alter fateri libere ſe ad aliquid obligatum eſſe, ad quod ſe non obligavit. Teſtis denique eſt perſona habilis ad fidem facti faciendam, ut vero ſit *habilis*, debet & poſſe, & velle verum dicere, *poſſe verum dicere* ſignificat ſcire factum, ideo infantes, ſtulti, cœci de viſu, ſurdi de auditu non poſſunt eſſe teſtes, *velle autem verum dicere* eſt, eſſe veracem, ut nimirum nec ex ocultatione veritatis ſperet lucrum, nec ex manifeſtatione metuat damnum, ideo nemo ſibi ipſi, nec pater pro filio, aut viciſſim, ſed nec inimicus inimico teſtis, ſi ad ejus condemnationem procedatur: *Hinc unus teſtis ad plenam probationem non ſufficit*, quia vel eſt aſtutus, vel fide dignus, & oculatus, ſi eſt aſtutus, tunc quidem contradictionis, & falſitatis convinci non poteſt, ſemper enim eodem modo circumſtantias narrabit, ſed naſcitur dubium de ejus veracitate, conſequenter de veritate facti logica, quæ ad plenam probationem requiritur, ſi autem eſt fide dignus, tunc dubium nullum eſt de ejus veracitate, ſed de veritate facti logica, facile enim homo in obſervandis circumſtantiis errat, & ideo poteſt eſſe logice falſum, quod moraliter verum eſt, jam autem ad plenam probationem

veritas facti logica requiritur, ergo. *Sed ad minimum duo vel tres ſunt neceſſarii*, & quidem omni exceptione majores, hoc eſt tales, quibus nec contra ſcientiam, nec contra veracitatem quidquam poſſit exponi, quia tales non facile errant in obſervandis circumſtantiis, neque eas confingere præſumuntur, ſi præſertim ſeparatim examinati easdem eodem modo referant, ergo ex eorum teſtimonio nullum remanet dubium ſeu de veracitate illorum, ſeu de veritate facti logica, ergo.

§ 213.

Litem decidere ſignificat, applicato facto ad legem oſtendere ex cujus parte ſtet veritas. *In ſtatu naturali lis deciditur, ſi, quod erat controverſum, ſufficienter probetur*, id eſt, ſi prætenſio alicujus adverſario certa reddatur. Quia ſecuta ſufficiente probatione adverſarius, qui de jure alterius, vel dubitabat, vel illud ignorabat, de eo certus fit, ergo ultra diſſentire, & litem continuare non poteſt, ſecus ſuum alterius violaret, quod non licet. *Si autem quis prætenſionem ſuam nequeat ſufficienter probare, adverſarius non tenetur juri ſuo cedere*, ſic in dubio melior eſt conditio poſſeſſoris, ſic ſi quis a me prætendat titulo mutui 100 flor. ſed mutuum non probet, pro certo haberi debet, me non eſſe debitorem. Quia tunc pro adverſario militant jura connata juſtæ ignorantiæ, libertatis &c. pro quibus tamdiu ſtat præſumptio, donec

nec contrarium probetur. *Si denique lis neque ex generalibus his principiis decidi poſſit ob æqualia utrinque argumenta*, v, g. competat jus ſuccedendi primogenito, ſed ex duobus gemellis non conſtet, quis primo loco ſit natus. Vel legatus eſt Cajo fundus, ſed cui e duobus, ignoratur, tunc uni ab altero jus ſuum quantumvis dubium invito auferri non poteſt, quia uterque habet jus æquale licet dubium, quod violaretur, ſi alteruter rem litigioſam totam vellet vi extorquere, jam autem nullius jus licet violare, deinde coactioni locum facit nonniſi læſio, quæ in hoc caſu ex utraque parte eſt incerta, non enim ſcitur, ad quem in ſpecie res litigioſa tota pertineat.

Non dicas vero: In ſtatu naturali quemlibet poſſe ſuum in agendo judicium ſequi. Quia hoc in re certa, non item in dubia verum eſt, ſecus eodem jure alter idem facere poſſet, ergo darentur jura contradictoria, quod abſurdum eſt. Deinde tametſi quis habeat jus ſuum in agendo judicium ſequendi, alter tamen non habet obligationem ſe alterius judicio ſubjiciendi, eſt enim independens ab arbitrio alterius.

§ 214.

Itaque ubi dubium durat, inſtituenda ſunt *colloquia*, *tractatus*, adhibendi *pacis procuratores*, deſcendendum ad *compoſitionem amicabilem* vel *transactionem*, faciendum *compromiſſum*, tan-

dem recurrendum ad *ſortem deciſoriam*, quia lis aliter decidi non poteſt, & hæc ſunt media leniora, quam vis. Sunt autem *colloquia* concertatio litigantium, qua ſibi mutuo argumenta de jure controverſo proponunt. *Tractatus* ſunt deliberationes de pacto ineundo ad finiendam litem. *Pacis procurator* eſt perſona, quæ ad litem ſopiendam ſuam operam, & conſilia ſine partium ſtudio confert. *Compoſitio amicabilis* eſt pactum, quo unus alteri jus controverſum gratis cedit. *Transactio* eſt pactum, quo non gratis, ſed dato aliquo, vel retento, vel promiſſo a prætenſione diſceditur. Hinc per amicabilem compoſitionem & transactionem ita lis deciditur, ut prætenſio renovari nequeat, etiamſi poſtea poſſemus probare rem litigioſam noſtram eſſe, quia utraque pacto perficitur, pacta autem ſervanda ſunt. *Compromiſſum* eſt pactum de ſtando deciſioni certæ cujusdam perſonæ. Hæc perſona vocatur *arbiter*, ſententia, quam pronuntiat *laudum*. Ad recipiendum arbitrium nemo poteſt cogi, quia eſt tantum officium humanitatis. Sed, qui illud recipit, debet cauſam rite cognoſcere, probationes examinare, & ſine reſpectu perſonarum pro rei veritate ferre ſententiam, quia ſecus non ferret juſtam ſententiam, non obſervaret pactum, litigantes vero laudum implere obligantur perfecte, quia ad id ſe pacto, quod perfectam parit obligationem, obſtrinxerunt. *De ſorte deciſoria dictum eſt ſupra* § 188.

§ 215.

§ 215.

Quodſi vero aliquis litigantium in re dubia in nihil præmiſſorum velit conſentire, alter eum vi poteſt cogere, quia nolendo conſentire alterum impedit in jure utendi mediis, quibus lis dubia poteſt decidi, ergo lædit, ſed contra lædentem datur jus cogendi, *Verum tantum ad transactionem eum poteſt compellere*, quia ad compoſitionem amicabilem non, per illam enim deberet totum ſuum jus donare, non ad compromiſſum, aut ſortem, quia ſe exponeret periculo amittendi totum jus, ergo ad ſolam transactionem, per hanc enim illi vel aliquid datur, vel aliquid retinet, vel aliquid promittitur, & utique in re dubia unus alteri rem litigioſam totam invito auferre non poteſt ſine læſione. Hinc non quævis læſio, ſed tantum aliter indeclinabilis eſt juſta coactionis phyſicæ, & belli cauſa, quia quamdiu ſufficiunt media leniora, tamdiu non licet adhibere duriora. *Hoſtilitas* eſt animus declaratus alteri vim inferendi. *Hoſtis* eſt, qui animum declarat alteri vim inferendi. *Jure belli, & hoſtilitatis illi tantum gaudent*, qui læſionem patiuntur aliter indeclinabilem, non, qui illam intentant, quia non lædenti, ſed læſo contra lædentem competit jus defenſionis, jus cogendi, jus belli.

§ 216.

Bellum ex utraque parte ratione cauſæ non poteſt eſſe juſtum, quia jus belli illis tantum competit, qui læſionem patiuntur, non etiam, qui illam intentant, jam autem læſionem patiens qua talis læſionem non intentat, jure enim ſuo utitur læſionem a ſe avertendo, ergo. *Deinde* ſi poſſet eſſe bellum ex utraque parte juſtum, tunc utraque deberet eſſe læſa, & lædens, ſola enim læſio eſt juſta belli cauſa, & læſio unius ſupponit læſionem alterius, ſed hoc contradictorium, & abſurdum eſt, tunc enim utraque pars haberet jus belli, quatenus eſſet læſa, & neutra haberet jus belli, quatenus eſſet lædens, ergo. *At poteſt eſſe bellum ex utraque parte injuſtum*, quia fieri poteſt, ut in cauſa dubia neutra pars æquas compoſitionis conditiones admittat, conſequenter ut utraque ſine jure ad arma provolet, jam autem bellum ſine jure geſtum injuſtum eſt. *Bellum offenſivum* eſt, in quo primi hoſtilitatis actus exercentur, *defenſivum* autem, in quo primis hoſtilitatis actibus reſiſtitur. Utrumque poteſt eſſe juſtum diverſo tempore, quia potuit ab altero fuiſſe illata læſio, vel certo imminere, nec poſſit aliter, quam bello declinari, tunc primi hoſtilitatis actus jure exercebuntur, ſed poteſt etiam læſio aliter indeclinabilis actu inferri, & tunc primis hoſtilitatibus actibus jure reſiſtetur, jam autem bellum jure ge-

ſtum

ſtum juſtum eſt. *Interim* 1° omne bellum offenſivum præſumitur eſſe injuſtum, quia ut ſit juſtum debuit præcedere ex parte altera læſio, ſed hæc ob jus connatum bonæ exiſtimationis præſumi non poteſt. 2° Omne bellum defenſivum præſumitur eſſe juſtum, quia jus defenſionis eſt jus connatum, pro juribus autem connatis tamdiu ſtat præſumtio, donec contrarium probetur. 3° Quamprimum contrarium probatur, bellum offenſivum erit juſtum, & defenſivum injuſtum, quia præſumtio debet cedere veritati.

Male itaque ex ethymologia verborum: offendo, & defendo, bellum defenſivum ſemper juſtum, & offenſivum ſemper eſſe injuſtum concluderes. Quia horum terminorum ſignificatio debet ab artis bellandi peritis repeti, ſunt enim artis militaris termini technici, artis autem bellandi periti agnoſcunt bellum offenſivum poſſe eſſe juſtum, ſecus non poſſent defenſiva, & offenſiva fœdera ſanciri, nam non licet injuſtum hoſtem adjuvare.

§ 217.

Jus belli, & hoſtilitatis eſt *jus indefinitum*, hoc eſt quantam vim juſtus hoſtis lædenti poſſit inferre, in genere nequit determinari, ſed tantum ex obviis circumſtantiis, quia ſubinde gravis læſio leniori medio avertitur, ſubinde autem ad levem læſionem declinandam opus eſt duro remedio, jam autem jus indefinitum eſt,

cujus limites nonniſi ex præſentibus circumſtantiis definiri poſſunt. Hinc, ſi juſti belli *ſcopus* exigat, id eſt, ſi læſionis præteritæ ſatisfactio, præſentis depulſio, & a futura ſecuritas aliter obtineri non poſſit, licitum eſt perſonam lædentis capere, mutilare, occidere, ejus res, & jura per bellicam occupationem ſua facere, quia tunc iſta ſunt media neceſſaria ad avertendam læſionem. *Qui tamen hos limites transgreditur*, hoc eſt, gravioribus, vel pluribus malis lædentem afficit, quam ſcopus belli exigat, ex bello juſto tranſit ad injuſtum, quia reliqua mala ſine jure infert. *Ceterum quantitas*, & *qualitas violentiæ pro foro externo judicio læſi relinqui debet*, quia ille optime ſcit, quantum illi per læſionem deceſſerit, ille ſolus ſuum damnum poteſt æſtimare accurate, neque tenetur hac in re judicium aliorum ſequi. *Propterea vero non licet odiſſe, eum, qui nos læſit*, quia neminem licet odiſſe, & obligamur etiam inimicos diligere. Sed etiam *vindicta* eſt prohibita, ſeu actus, quo alicui ideo tantum male facimus, quia nobis male fecit, quia vindicta eſt odium inimici, quod prohibitum eſt.

Sed licet lædentem afficere malis. Ita, quatenus mala ſunt medium avertendæ læſionis, non vero quatenus ſunt mala lædentis; Quod enim lædenti mala licitum ſit inferre, cauſa eſt ſtatus colliſionis, ſed amor hoſtis cum actibus hoſtilibus non poteſt venire in colliſionem, amor enim conſiſtit in internis, hoſtilitas in actionibus externis.

§ 218.

§ 218.

Ex hiſce principiis fluit *moderamen inculpatæ tutelæ*; ſeu uſus mediorum neceſſariorum ad ſe, reſque ſuas defendendas. Jus inculpatæ tutelæ eſt jus propulſandi præſens periculum vitæ, mutilationis membrorum, pudicitiæ cum occiſione injuſti aggreſſoris, ſi mitius remedium inutile foret, hoc jus cuilibet a natura competit, quia tunc occiſio aggreſſoris eſt unicum, & neceſſarium medium avertendæ læſionis, jam autem qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media neceſſaria. *Nec refert aggreſſorem forte eſſe dementem*, quia hoc jus non ex alterius malitia, ſed ex jure connato ſe conſervandi deſcendit, jura autem connata competunt ſine reſpectu ad perſonas. *Aſt ſi quis fuga ſibi poſſit plene conſulere, hæc faciendi jus non habet:* quia tunc non eſt colliſio, & fuga eſt lenius medium quam occiſio. *Sic etiam* ſi majus bonum oriretur ex non defenſione, tunc caritas prohibet occiſionem injuſti vitæ aggreſſoris, quia ex caritate obligamur majus bonum præferre minori. *Si denique levis tantum injuria immineat*, v. g. alapa, niſi vim majorem adferat, illicita eſt occiſio, quia poteſt mediis lenioribus arceri, quæ quamdiu ſufficiunt, non licet adhibere duriora.

Dicet aliquis: In ſtatu civili judex dementem non poteſt morte punire, ergo etiam. Diſpar eſt ratio, jus enim puniendi fundatur in impu-

tatione, quæ dementi fieri non poteſt, jus autem defenſionis fundatur in jure ſe conſervandi, quod, quia connatum eſt, competit omnibus ſine reſpectu perſonarum, & brutorum. *Ad minimum fugere turpe eſt, & meticuloſum denotat.* Ita, ſi adſit obligatio in ſtatione permanendi, tunc enim per fugam violatur lex, quod ignominioſum eſt, nequaquam autem fugere turpe eſt, dum per fugam lex cuſtoditur, honorem enim, veramque gloriam virtutes pariunt, imo in hoc caſu non fugere timiditatem ſignificat, timiditas enim eſt, vitium ob metum mali imminentis legem violandi.

§ 219.

Famam, exiſtimationem nece calumniatoris non licet defendere, quia occiſio calumniatoris ad famam defendendam non eſt aptum medium, propterea enim nemini perſuadebimus falſa eſſe, quæ ille de nobis ſparſit, ſed potius judicabimur, crudeles, & ideo calumniatorem occidiſſe, ne, quod dixit, probare valeat. *Deinde* fama poteſt aliis mediis lenioribus defendi, & quidem *vel factis,* ſi quis ita ſe gerat, ut oſtendat falſa dixiſſe maledicum, vel *verbis,* labefactando ejus fidem, & mendacii arguendo, noſtra enim fama, & exiſtimatio bona in aliorum de morali noſtra perfectione judicio ſita eſt, jam autem ſi media leniora ſufficiant, non licet adhibere duriora. *Sed nec licet injuriam retorquere*, hoc eſt calumnias rependere, quia non eſt aptum medium famam defen-

ſendendi, per id enim non efficimus, ne, quæ a calumniatore dicuntur, pro veris habeantur, ſed ſapit vindictam, quæ illicita eſt.

Pervulgatum eſt proverbium: vita, & fama pari paſſu ambulant. Verum hoc eum ſenſum habet, quod non tantum ad vitam, ſed etiam ad famam conſervandam, defendendamque obligemur, non autem, quod iisdem mediis, nam vita conſervatur cibis, non item fama.

§ 220.

Licet autem res neceſſarias deficiente alio remedio etiam cum injuſti aggreſſoris nece defendere, quia qui res neceſſarias aggreditur, vitam aggreditur, vita enim ſine rebus neceſſariis tolerari non poteſt, ſed injuſtum vitæ aggreſſorem licet occidere, ergo etiam. *Ob res tamen non neceſſarias non licet fugientem furem trajicere*, quia majus bonum oritur ex conſervatione vitæ alterius quam ex conſervatione rerum non neceſſariarum, jam autem in conflictu non licet minus bonum eligere. *Interim cruenta defenſio rerum non neceſſariarum poteſt eſſe pro foro externo juſta, licet pro interno maneat injuſta*, primum ideo, quia uſus mediorum dependet a ſuo cujuslibet arbitrio, præſertim cum, quid uni ſit neceſſarium, vel minus neceſſarium, alter dijudicare nequeat: *Secundum autem ideo*, quia adverſatur caritati, & æquitati naturali, quæ ad multa vi beneficentiæ etiam gratis danda nos adſtringit.

Non

Non obmoveas: Nullam eſſe proportionem inter res unius & vitam alterius. Quia proportio defenſionis non debet deſumi a quantitate læſionis, ſæpe enim magna læſio parvo remedio avertitur, ſæpe parva læſio nonniſi duro declinatur remedio; ſed vera proportio inter defenſionem, & læſionem eſt, ſi defenſio ſit aptum, & neceſſarium medium ad læſionem avertendam. *Neque urgeas: Obligari nos res noſtras alterius vitæ ſervandæ cauſa ultro dare.* Quia hoc tantum tunc verum eſt, quando alter probat ſe eſſe in extrema neceſſitate, neque petit res nobis æque neceſſarias. *Fruſtra autem dicis omnem violentam defenſionem legi evangelicæ repugnare propter Matth.* 5. *ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam præbe illi, & alteram, Et Rom.* 12. *Non vos defendentes cariſſimi.* Quia Evangeliſta loquitur de levi injuria, quæ utique nece aggreſſoris non debet averti, D. Paulus autem prohibet vindictam, uti contextus docet; per hæc, & alia ſimilia loca commendat Evangelium amorem proximi, non tamen prohibet neceſſariam defenſionem, amor enim proximi etiam cum actibus hoſtilitatis componi poteſt, & debet.

§ 221.

Jus præventionis eſt jus imminentem læſionem vi repellendi. Hoc jus competit homini, ſi vita, corpus, aut res ejus in certum diſcrimen deducantur, quia ſecus inania eſſent jura ſecuritatis, & defenſionis. *Verum læſio debet certo imminere*, quia quamdiu incertum eſt læſionem imminere, tamdiu in-

incertum eſt jus defenſionis, ergo poſſent mala alteri ſine jure inferri, quod non licet. Si læſus juri ſuo perſequendo impar ſit, poteſt ſibi *de auxilio bellico proſpicere*, hoc eſt vires ſuas cum viribus alterius conjungere, quia auxilium bellicum eſt medium læſionem avertendi, *Auxilium bellicum poteſt quilibet præſtare*, quia quilibet habet jus alios juvandi. *Et quidem antequam illud ſpeciali pacto promiſit*, quia ante pactum quilibet habet jus alios juvandi, & ſi ante pactum non haberet, ſuper eo pactum iniri non poſſet, objectum enim pacti eſt tantum res phyſice, & moraliter poſſibilis. *Sed etiam quilibet poteſt neutras partes bellantium ſequi, eſſe neutralis*, quia vi libertatis naturalis quilibet in agendo, conſequenter etiam in auxilio bellico præſtando ſuum judicium ſequi poteſt. *Ceterum injuſto hoſti ferre auxilia bellica non licet*, quia hoc eſt lædere, lædentis enim vires augentur, quod non licet, *Victoria* eſt ille belli exitus, quo vires phyſicæ unius efficiunt, ut alter amplius non poſſit reſiſtere. *Hæc ſola nullum jus tribuit*, quia jus non provenit a viribus phyſicis, non ſemper habet juſtam cauſam, qui fortior eſt: *Si tamen victoriæ accedat pactum pacis, oritur jus*, quia ex pacto naſcitur jus. *Neque poteſt pax exceptione injuſti metus irrita reddi*, quia pacta metu injuſto extorta pro foro externo valida ſunt.

§ 222.

Duellum eſt pugna inter duos determinata, qui conveniunt certo loco, tempore, & modo ſe dimi-

dimicare velle, ut per victoriam lis dirimatur. Hinc ſi quis animo duelli alterum invadit ex improviſo, & iſte ſe tuetur, ex parte hujus duellum non eſt, ſed licita ſui ipſius defenſio. *Duellum eſt illicitum*: Primo, quia eſt pactum de re moraliter impoſſibili, quilibet enim obligatur proximum periculum vitæ, & mutilationis tum a ſe, tum ab aliis avertere, jam autem tale pactum eſt illicitum. *Secundo*, quia eſt ineptum medium decidendi litem, ex eo enim quod in pugna vincas, non ſequitur ex tua parte ſtare veritatem, & juſtitiam, victoria enim nullum jus tribuit. *Tertio*, quia eſt ineptum medium defendendi famam, ex eo enim quod in duello victoriam referas, non oſtendis falſitatem eorum, quæ de te dicta ſunt, ſed tantum majores vires phyſicas. *Quarto*, quia eſt utrinque injuſtum bellum, ſi ob cauſam dubiam ſuſcipiatur, tunc enim neuter admittit æquas compoſitionis conditiones tanquam media leniora, quod injuſtum eſt. *Quinto*, quia eſt utrinque injuſtum bellum, ſi ob cauſam certam ſuſcipiatur. *ex parte lædentis* propterea, quod per duellum novam intentet læſionem, *ex parte læſi* propterea, quod cauſam juſtam, & vitam aleæ ſine neceſſitate committat.

Objicitur, licitum eſſe bellum, ergo etiam duellum. Imprimis etiam bellum ex utraque parte non poteſt eſſe juſtum, *deinde* non adhibetur, ut per victoriam lis decidatur, ſecus ex utraque parte eſſet injuſtum, *denique* per bellum non intenditur directe occiſio, mutilatio adverſarii, ſicut in duello, ſed læſionis aliter indeclinabilis depulſio. *Sed non acceptans duellum amittit honorem.* Nequaquam apud probos, & peritos, in quorum conſenſu de morali aliorum perfectione eorundem verus honor, gloria conſiſtit, moralis autem perfectio eſt, rem illicitam non acceptare.

JUS

JUS NATURÆ OECONOMICUM.

CAPUT I

De ſocietate hypothetica generatim.

§ 223.

Societas hypothetica eſt ſtatus in quo homo in hominem jus perfectum, & affirmativum habet ad communem aliquem finem conjunctis viribus obtinendum. *Eſt autem jus perfectum, & affirmativum*, jus, vi cujus quis ab alio perfecte exigere poteſt, ut actiones quasdam poſitivas præſtet; *Tale jus non eſt connatum*, quia ex natura humana abſolute conſiderata nemo perfecte obligatur alteri actiones poſitivas præſtare, quilibet enim habet libertatem a ſubjectione: Et licet a natura unicuique competat jus perfectum non patiendi, ut ab altero lædatur, hoc tamen non eſt affirmativum, quia illi ſatisfit actione negativa, nimirum abſtinentia a læſione. Itaque, ſi tale jus alicui competit, hypotheticum eſt, quia non eſt connatum, jura autem hominum vel connata ſunt, vel hypothetica. *Deinde tale jus non aquiritur modo originario, ſed derivativo, & quidem vel lege, vel pacto.* Non modo originario, quia hoc modo aquiruntur

runtur tantum res nullius, actiones autem poſitivæ non ſunt nullius, ſed cuilibet propriæ, quoad tales enim quilibet a ſuo pendet arbitrio; *ſed derivativo*, quia modus aquirendi vel eſt originarius, vel derivativus, atqui tale jus modo originario non aquiritur, ergo. *Lege propterea*, quia cum nonnullis actionibus poſitivis ex natura connexa ſunt vera bona tanquam motiva, quod obligatio, & lex eſt: Sic lex præcipit, ut parentes ſuas proles educent. *Pacto propterea*, quia cum homo ſit dominus ſuarum actionum, poteſt quoad illas ſe alteri obligare, v. g. ſervus.

§ 224.

Societas hypothetica vel eſt *legalis*, *ſeu neceſſaria*, vel *pactitia*, *ſeu voluntaria*, quia jus perfectum, & affirmativum, quod ſocietatem hypotheticam conſtituit, vel lege, vel pacto aquiritur. Et ſi eſt legalis, eſt etiam *neceſſaria*, quia legi obtemperare neceſſarium eſt: Si vero pactitia, eſt etiam *voluntaria*, quia in omni pacto debet adeſſe conſenſus, ſeu identitas voluntatum. *Hinc omnis ſocietas hypothetica debet ob finem juſtum, & licitum iniri*, quia vel eſt legalis, vel pactitia, ſed nec legis, nec pacti poteſt eſſe objectum res injuſta, & illicita. Quapropter cœtus hominum in finem illicitum conſpirantium non eſt ſocietas, ſed multitudo ſceleratorum, v. g. furum &c. In omni ſocietate debet adeſſe 1. *communis aliquis finis*, quia ſocii

ad

ad certum quendam finem facilius obtinendum ſe conjunxerunt, 2° *unio voluntatum*, quia eundem finem debent omnes ſocii velle efficaciter, 3° *unio virium*, *ſeu mutuum adjutorium*, quia nemo unus ſuis viribus communem finem obtinere poteſt, ſecus enim non fuiſſet inita ſocietas: 4° *negotia ſocialia*, ſeu certæ actiones, quibus ſocii tanquam mediis ad finem utantur, quia finis absque mediis obtineri nequit.

§ 225.

Salus ſocietatis eſt non impeditus progreſſus ad finem ejus conſequendum: *Hanc quilibet ſocius obligatur quærere*, quia quilibet obligatur curare, ut non tantum ipſe, ſed etiam reliqui ſocii ad conſequendum ſocietatis finem non impediti progrediantur, ex natura enim ſocietatis ſocii conjunctis viribus obligantur ad finem ſuæ ſocietatis tendere. *Bonum commune ſocietatis* eſt finis ejusdem, quatenus obtinetur, ideo dicitur *bonum*, quia finem ſocietatis omnes debent velle, voluntas autem determinatur ſecundum cognitionem boni, *commune* propterea, quia ab omnibus intenditur, & ſingulos perficit. *Huic bono communi quilibet ſocius obligatur ſtudere*, quia quilibet obligatur ad finem ſocietatis obtinendum tendere. *Hinc quælibet ſocietas eſt una perſona moralis*; quia perſona moralis eſt ſubjectum obligationum, & jurium, ſed quælibet ſocietas habet ſuas obligationes, & jura, ergo

 eſt

eſt perſona moralis, & quidem una, quia quorum vires conjunctæ ſunt, recte pro uno habentur, ſocii autem conjunctis viribus debent ad communem finem tendere: *Sed etiam ſocietas tantum unam voluntatem habet*, quia in omni ſocietate adeſt unio voluntatum, & una perſona moralis unam tantum habere poteſt voluntatem. *Interea ſocietas reſpectu aliorum, qui de ſocietate nont ſunt jura ſua naturalia libertatis, æqualitatis retinet, eaque mediis proportionatis tueri poteſt.* Quia reſpectu illorum vivit in ſtatu naturali, illis enim nec ex lege, nec ex pacto eſt ſubjecta.

§ 226.

Principium objectivum cognoſcendi jura, & obligationes ſociales *in ſocietate legali* eſt finis ſocietatis, quia in ſocietate legali jura, & obligationes ſociorum non poſſunt reſtringi, finem enim, & media illum obtinendi lex naturalis immutabilis præſcripſit, ergo jura, & obligationes ſociales in ſocietate legali ex fine ejus poſſunt cognoſci, ſed id, ex quo aliquid poteſt cognoſci, eſt principium objectivum cognoſcendi. *In ſocietate vero pactitia* primario eſt pactum, dein finis ſocietatis, quia in hac jura, & obligationes ſociorum eorum arbitrio poſſunt extendi, vel reſtringi, veluti in ſocietate herili. Hinc generalis ſocialis lex deducitur: *Vive fini ſocietatis convenienter*, hoc eſt: Pone omnes actio-

actiones, quæ cum fine ſocietatis conveniunt, & omitte contrarias, quia illæ ſunt media ad finem, hæ impedimenta, cum ergo quilibet ſocius obligetur ad finem ſocietatis, obligatur etiam adhibere media, & removere impedimenta.

§ 227.

Socii duplici modo ſe poſſunt lædere: I. Si quis majora prætendat jura, quam ex fine, & pacto ſocietatis in illum fuerint translata, quia talis reſtringit libertatem naturalem aliorum ſine jure. II. Si alter alterum impediat in exercitio jurium aquiſitorum, quia impedire alium in exercitio juris ſui eſt lædere. *Læſus habet jus tales cogendi, ut a læſione ceſſent*, quia jus cogendi omnis læſus habet, *Vel* poteſt a ſocietate pacticia diſcedere, quia ob perfidiam contractus ceſſant. *Niſi* tamen vel per pactum, vel per legem alia ratio fuiſſet determinata jus ſuum perſequendi, tunc enim illa obſervanda eſt, quia & pactum, & lex ſervari debent. Sic in civitate ob læſionem non licet ſibi propria auctoritate ſatisfactionem impendere, ſed eundum eſt ad competentem judicem, ſecus merito talis juſtiſſimam perdit cauſam, ſit enim ex læſo ledens.

§ 228.

Socii actiones ſuas, quæ ad finem ſocietatis ſunt indifferentes, licite in ſuum privatum bonum impendunt, quia quoad tales nullam con-

traxerunt obligationem, ergo utuntur libertate naturali, ſed vi libertatis naturalis quisque poteſt actiones ſuas ad promovendum bonum privatum impendere, habet enim jus ſe perſiciendi. *Quod ſi bonum privatum confligat cum bono publico totius ſocietatis, hoc illi præferendum eſt*, quia lex naturalis eſt, ut in conflictu bonum totius præferatur bono partis. *Deinde* in hoc conſenſerunt ſocii, dum ſocietatem ſunt ingreſſi, tunc enim conſenſerunt in removenda omnia impedimenta a fine ſocietatis, jam autem privatum bonum in conflictu cum bono publico eſt impedimentum finis. *Denique* ſi ſocius bonum proprium bono communi anteferret, obligationem ſocialem perfectam violaret, bono enim communi quilibet obligatur ſtudere, ergo contra ſe jus cogendi, jus belli tribueret, unde illi major infelicitas eveniret, quam ex neglectu privati commodi, non licet autem majus malum præ minore amplecti. In hoc ſenſu verum eſt: *Salus publica ſuprema lex eſto.* Si tamen officia erga Deum negativa confligerent cum officiis erga totam ſocietatem, hæc illis deberent cedere, quia totius inhoneſtatis nulla eſt capitalior, quam quæ contrahitur contemtu ſummi numinis, & divinæ gloriæ obſcuratione.

Nec dicat aliquis, hac ratione viventes extra ſocietatem magis ſe poſſunt perficere. Quia officia erga ſocietatem ſunt ſimul officia erga nos; Et jactura boni privati compenſatur per bonum com-

commune, hoc enim in ſingulos redundat, & extra ſocietatem haberi non poteſt. *Sed tunc non eſſet verum: vivere pro patria dulcius eſſe puto.* Neque eſt hoc verum in colliſione, non enim ſemper, quod dulcius eſt, etiam licitum eſt, uti patet v. g. in furto &c., niſi intelligas voluptatem animi, quæ ex conſcientia expleti officii naſcitur. *Sed nemo poteſt in amiſſionem vitæ conſentire.* Directe quidem non, poteſt tamen indirecte, ſecus nec navigare, nec ſub tectis habitare liceret. *Sed ad bonum privatum communi poſtponendum conſentientes majus malum præ minori elegiſſent, quod non licet.* Nequaquam, quia minus malum præ majori ſunt amplexi, videlicet incertum malum præ certo, incertum enim malum fuit neglectus boni privati ob remotum, & rarius emergentem ſtatum colliſionis, certum autem malum fuit inſufficientia obtinendi finem extra ſocietatem.

§ 229.

Societas alia eſt *compoſita*, cujus ſocii ſunt integræ ſocietates, alia *ſimplex*, cujus ſocii ſunt ſingulares perſonæ. *In compoſita ſocietate membra ſocietatis ſimplicis debent actiones ſuas ad bonum commune compoſitæ ſocietatis dirigere, & in conflictu boni ſocietatis ſimplicis cum bono ſocietatis compoſitæ iſtud illi præferre.* Quia hoc debent facere ſocii in ſocietate ſua ſimplici, jam autem ita ſe habent

 ſocii

ſocii ſocietatis ſimplicis ad ſuam compoſitam, ſicut ſocii ſingulares ad ſuam ſocietatem ſimplicem, ſicut enim hi, ita etiam illi ad communem finem unitis viribus tendere obligantur. *Item* ſocietas vel eſt *æqualis*, in qua nullum eſt imperium, vel *inæqualis*, in qua adeſt imperium. Hinc in ſocietate inæquali adeſt ſubjectio, & ſubditus, quia adeſt imperium, & ſuperior, ſed imperio correlata eſt ſubjectio, & ſuperiori inferior, ſive ſubditus.

§ 230.

Jura ſocietatis æqualis: In hac negotia ſocialia ex natura ſocietatis, & ex communi ſociorum voluntate debent determinari, quia nullus adeſt ſuperior. *Et quidem* illa negotia ſocialia, quæ ſemper eodem modo ad finem ſocietatis requiruntur, ſtatim ab ortu ſocietatis debent definiri, quia ſunt media neceſſaria ad finem. *Pro reliquis* autem nondum determinatis debet validus conſentiendi modus ſtabiliri, quia ſocii omnes futuras circumſtantias prævidere non poſſunt, & rariſſime etiam evenit, ut omnes in idem per conſpirationem conſentiant. *Hinc* ſi nova occurrant negotia ſocialia opus eſt conventum celebrare, & vota ferre, quia ſic poteſt communis ſociorum voluntas pateſieri. Eſt autem *votum*, declaratio voluntatis ſocii facta ſocietati de eo, quod communi conſenſu definiri debet. Aliud eſt *affirmativum*, aliud *nega-*

gativum, aliud *categoricum*, ſeu ſine conditione, aliud *ſincategoricum* ſeu conditionale, aliud *expreſſum*, aliud *tacitum*, aliud *deliberativum*, *vel informativum*, quo præciſe quid fieri, vel non fieri deberet, proponitur, aliud *deciſivum*, quo, quid fieri, vel non fieri debeat, concluditur. Item vota vel ſunt *unanimia*, dum omnes ſocii idem volunt, vel *diverſa*, dum aliqui diſſentiunt, diverſa autem vel ſunt *majora*, vel *minora*, vel *paria*, ſi nempe vota inter ſe conſerantur, & tot ſint ex una v. g. affirmante parte, quot ex alia negante, ſunt *paria*, ſi vero ex una parte ſint plura, vocantur *majora*, & ex qua parte ſunt pauciora, dicuntur vota *minora*.

§ 231.

Concludere ſignificat collatis inter ſe votis determinare, quid fieri, vel non fieri debeat. *Unanimia vota ſemper concludunt*, quia adeſt communis ſociorum voluntas, ſecundum quam negotia ſocialia debent determinari. *Paria autem in regula non concludunt*, quia ſe mutuo elidunt. *Niſi* ab initio fuiſſet determinatum, ut in tali caſu illa pars vincat, cui certa perſona acceſſit, v. g. maxime ſenex, vel ut valeat *calculus Minervæ*, hoc eſt, ut res, dum adſunt vota paria, maneat in ſtatu priore, v. g. ut in dubio reus abſolvatur. Quia tunc adeſt communis voluntas pro hoc concludendi modo, jam autem in ſocietate æquali negotia ſocialia com-

muni voluntate ſociorum determinantur (*Calcuculus Minervæ originem habet ab illa fabula, ubi Oreſtes Clytemneſtram matrem in furore occidit, ideoque ad judicium, cui æquitas, ſeu Minerva præſidebat, vocatus eſt, ubi cum lapilli nigri plures eſſent, Minerva addendo album ſuffragia paria effecit, atque ita evaſit Oreſtes. Vide Cocceji Diſp. de eo, quod juſtum eſt circa numerum ſuffrag. Sect. II.*) Hic tamen calculus in illis negotiis locum non habet, quæ nihil concludendo exitum habere nequeunt, v. g. in electione. Sed ſi res moram patiatur, nova conſultatio inſtituenda eſt, ſecus ad ſortem recurrendum, quia aliter negotium ad exitum perduci non poteſt.

§ 232.

Si autem vota ſint diverſa, neque ſit ab initio certus votorum numerus definitus, ut v. g. ad concluſum debeant adeſſe duæ tertiæ, *tunc majora concludunt*, quia accedunt ad unanimia, & quia ſocietas unam habet voluntatem, pro ea parte determinatur, pro qua plura vota tanquam motiva habet. *In ſocietate æquali* vota debent tantum numerari, & non *ponderari*, ſeu æſtimari, quis ſanius, melius, vel verius dederit, quia nullus eſt judex, qui hoc poſſet decidere, ideo quilibet ſocius ſuum votum pro æque bono & vero habere poteſt, ſicut alter ſuum, *niſi* rem, in qua fundamentum habet ſocietas, non participarent omnes æqualiter, tunc enim vota

de-

debent æſtimari in ratione participationis, v. g. in ſocietate negotiatoria, quia tunc unus pro pluribus ſociis computatur. *Si denique ſocii in tres, vel plures etiam abirent ſententias*, nulla tamen vota majora contineret, tunc videndum eſt an aliquæ ſententiæ poſſint inter ſe conciliari, vel non, *ſi non poſſunt conciliari*, v. g. e 9 electoribus 4 eligant Petrum, 3. Paulum, & 2 Andream, licet Petrus reſpectu electorum plura habeat vota, non habet tamen reſpectu eligentium, illius enim electioni 5 electores adverſantur, tunc nova deliberatione eſt opus, vel forte, quia ſecus negotium non haberet exitum, *Si autem poſſint conciliari*, tunc id ſequendum eſt, quod paucioribus diſplicet, v. g. e 9 judicibus 3 condemnent reum ad ſolvendos 20 flor 4 ad 10 flor., & 2 illum abſolvant, tunc reus condemnandus venit ad 10 flor., qui enim reum condemnant ad 20 flor. condemnant etiam ad 10. in 20 enim florenis 10 continentur, adeoque ſententia hæc paucioribus diſplicet, nimirum duobus, qui reum abſolvunt, & placet aliis ſeptem. Quia quod paucioribus diſplicet, placet pluribus, quod pluribus placet, pro eo ſunt majora vota, ſed majora concludunt.

233.

In ſocietate æquali quilibet ſocius habet jus voti ferendi, quia negotia ſocialia communi ſociorum voluntate determinantur, *niſi uſu ratio-*

nis deſtitueretur, quia talis non poteſt voluntatem declarare, votum autem eſt declaratio voluntatis. Poteſt etiam quis huic juri ſive *expreſſe*, dum præſens eſt, & non vult votum ferre, ſive *tacite*, dum ad conventum non comparet, neque illud alteri committit, renunciare, quia juribus permiſſivis licitum eſt renunciare. *Verum tunc jus abſentium præſentibus accreſcit*, hoc eſt præſentes poſſunt negotium concludere, quia ſecus non poſſet negotium ſæpe urgens terminari. *De ſocietate ſequentes adhuc veritates notari merentur :* I. Nulla ſocietas ſine legibus ſtare poteſt, quia finis ſine mediis obtineri non poteſt, leges autem ſociales præſcribunt media ad finem. II. Salus ſocietatis ſine legum cuſtodia conſervari non poteſt, quia niſi leges cuſtodiantur, non adhibentur media ad finem, jam autem in non impedito progreſſu ad finem ſocietatis ſalus ejusdem conſiſtit. III. Quilibet ſocius obligatur univerſis legibus ſocietatis parere, quia obligatur ſalutem ſocietatis promovere, quod ſine legum cuſtodia fieri nequit. IV. Quicunque recipitur in ſocietatem, ille ejus legibus ſe vel expreſſe vel tacite ſubjicit, quia ſe obligat ad finem, qui ſine mediis, ſeu legibus ſocialibus obtineri non poteſt. V. In ſocietate mere pactitia leges ſociales poſſunt mutuo conſenſu tolli, mutari, & aliæ ſurrogari, quia valor pactorum pendet a contrahentium voluntate. VI. Siguli quidem ſocii legibus obligantur, non autem univerſi, quia

uni-

univerſi illas pro arbitrio poſſunt tollere, ſicut tulerunt, non vero ſinguli, illa autem obligatio nulla eſt obligatio, a qua quis ſe pro arbitrio poteſt liberare. VII. Socii a ſocietate mere pactitia poſſunt, quando volunt, communi conſenſu recedere, quia pacta mutuo diſſenſu ceſſant.

§ 234.

Societatis autem inæqualis ſequentia ſunt jura: I. Imperans habet jus perfectum determinandi actiones ſubditorum *permiſſas*, hoc eſt phyſice, & moraliter poſſibiles ad finem ſocietatis, quia habet imperium, ita tamen ut ejus poteſtas menſuram accipiat ex fine, & pacto ſocietatis, quia imperans utpote ſocius finem ſocietatis promovere, & pactum ſervare debet. II. Imperanti omnes ſubditi obligantur parere, quia ſecus inutile eſſet ejus imperium. *Hinc* in illis actionibus, quæ ſubſunt imperio, quæ ad obtinendum finem ſocietatis ſpectant, non habent ſubditi libertatem naturalem, quia eas non pro ſuo, ſed imperantis arbitrio debent determinare. III. Imperans poteſt ſuis ſubditis leges ferre, quia poteſt media ad finem determinare, jam autem leges continent media ad finem: *Deinde* poteſt leges ſanctione pœnali munire, quia ſanctio pœnalis eſt medium neceſſarium ad cuſtodiam legum procurandam, nam naturalis obligatio ob effrænes appetitus paucis ſufficit,

ſed etiam poteſt leges a ſe latas mutare, & tollere, quia earum vis tota ab ejus arbitrio pendet. *Hinc* ſuis legibus non obligatur, quia eas poteſt pro arbitrio tollere, *niſi* ad dandum bonum exemplum, ut eo efficacius a ſubditis obſerventur. IV. Imperans non poteſt alias leges condere, quam pro bono ſocietatis communi, neque *leges fundamentales*, hoc eſt pacta inter ſe, & ſubditos celebrata violare, quia ejus poteſtas accipit menſuram ex fine ſocietatis, & pacto. V. Qui ſe tantum ad tempus imperio ſubjicit, ille libertatem ſuam ſuſpendit, qui vero pro ſemper ſe ſubjicit, alienat libertatem, quia iſte invito imperante ſuam libertatem amplius recuperare non poteſt, ille autem poſt elapſum tempus deſinit eſſe ſubditus, VI. Nec imperans indiſtinctim ſe imperio abdicare, nec ſubditi ſe eo invito ſubducere poſſunt, quia ſeu ſit ſocietas legalis, ſeu pactitia, ſemper tamen & lex, & pacta ſervari debent.

§ 235.

Imperium vel eſt *abſolutum*, ſeu illimitatum, quod nullos alios habet limites, quam naturam, & finem ſocietatis, vel *limitatum*, ſeu temperatum, cui præterea certi limites pacto ſunt conſtituti, vel *deſpoticum*, quod non ſolum ad actiones ſubditorum permiſſas, ſed etiam ad univerſas eorum res ſe extendit. *Jam unum deſpoticum imperium ab altero non differt*

ſpe-

ſpecie, quia in quovis æqualiter competit jus in omnes ſubditorum actiones, & res. *Differt autem limitatum*, quia pactorum, quibus limitatio fit, diverſæ ſunt ſpecies. *Et quidem* in limitato imperio quoad ea, quæ juri imperantis non ſubſunt, ſubditi, & imperans tanquam æquales ſpectari debent, quia quoad ea libertati naturali non renunciarunt: *Quod ſi tamen* quoad talia ab initio pacto fuit certus modus jus ſuum perſequendi ſtatutus, obſervari debet, quia pacta ſervanda ſunt.

§ 236.

Nullus vero imperans poteſt actiones phyſice, vel moraliter impoſſibiles præcipere, quia in tales non cadit obligatio, deinde talem poteſtatem nec ex lege, nec pacto potuit aquirere. *Sed nec poteſt actiones mere internas præcipere*, quia ſine effectu eas præciperet, non enim poteſt eas perſpicere. *Præterea* non poteſt de vita, & ſubſtantia ſubditorum pro arbitrio diſponere, quia hoc eſſet dominium, ille autem habet tantum imperium, ſeu jus in actiones ſubditorum permiſſas. *Attamen* ſubditum inobedientem habet jus puniendi, quia talis impedit imperantem in exercitio juris, ergo lædit, ſed contra lædentem datur jus cogendi, conſequenter malum cum actione ejus injuſta connectendi, quod pœna eſt. *Verum tantum* ob actiones doloſas, & culpoſas, non vero propter tales, quæ

ne-

nequeunt imputari, quia jus puniendi provenit ex jure læſionem avertendi, jam autem tantum doloſis, vel culpoſis actionibus ſtricte lædimur. *Obſervandum:* Societas *legalis* ceſſat, ſi ratio legis deſinat, *pactitia* autem, ſi nexus pactitius diſſolvatur, quia ceſſante ratione ſufficiente ceſſare debet rationatum.

CAPUT II.

De ſocietate conjugali.

§ 237.

Societas conjugalis, ſeu *matrimonium* eſt ſocietas perſonarum diverſi ſexus procreandæ, & educandæ ſobolis cauſa inita. Qui ſunt in matrimonio, *conjuges*, & conjux mas *maritus*, conjux femina *uxor* appellantur. Hinc duplex eſt finis matrimonii procreatio, & educatio ſobolis, *procreatio* propterea, quia ex finibus rerum a Deo creatarum cognoſcimus, Deum voluiſſe ut genus humanum propagetur, Ille enim hominem creavit, & conſervat, ille diverſi ſexus perſonas condidit, ille denique hominibus in hunc finem ſtimulos naturales indidit, ſed generis humani propagatio ſine procreatione, & hæc ſine matrimonio obtineri nequit. *Educatio* autem propterea, quia ſine hac omnis nata proles

les peribit, ergo genus humanum non propagabitur. Qui ergo matrimonium init obligatur & procreare, & educare ſobolem, quia ſecus recedit a finibus rerum a Deo creatarum, quod non licet.

§ 238

Matrimonium eſt ſocietas hypothetica, quia 1° eſt *ſtatus*, nova enim jura, & obligationes conjugum complectitur. 2° talis ſtatus, in quo homo in hominem habet jus *perfectum*, oritur enim ex pacto, & *affirmativum* videlicet ad procreandam, & educandam ſobolem, 3° *ad communem finem conjunctis viribus obtinendum*, nempe ad humani generis conſervationem, ſed talis ſtatus eſt ſocietas hypothetica. *Eſtque hæc ſocietas licita*, & *boneſta*, quia eſt conformis finibus rerum a Deo creatarum, nimirm conſervationi generis humani, *At ſcortatio*, *libido vaga*, & *omnis impudicitia*, *quæ ſenſualem voluptatem unice pro fine habet*, *lege naturali vetita eſt*. Quia in his non ille finis intenditur, ob quem Deus membra generationis creavit, ergo receditur a finibus rerum a Deo creatarum, quod vetitum eſt. Confirmant hoc ſacræ litteræ: I ad Corinth. 6. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures &c. regnum Dei poſſidebunt.* Hinc facile

cile eſt moralitatem *concubinatus*, qui eſt longior cohabitatio perſonarum diverſi ſexus, determinare; ſi enim habeat pro fine ſobolis procreationem, & educationem, tunc jure naturæ eſt licitus, quia tunc eſt matrimonium, ſed ſi habeat pro fine ſenſualem voluptatem, illicitus eſt, quia tunc ſcortatio eſt.

§ 239.

Præterea matrimonium eſt ſocietas *ſimpliciſſima*, quia ad ejus finem obtinendum duæ perſonæ diverſi ſexus ſufficiunt. Item relate ad totum genus humanum *legalis eſt*, *& neceſſaria*, quia fines rerum a Deo creatarum, hoc eſt, lex naturalis, cui obedire neceſſarium eſt, præcipit, ut genus humanum conſervetur, quod ſine matrimonio fieri nequit; *ſingulos* vero hominum ad connubium ineundum teneri ineptiſſimum foret affirmare, quia lex, quæ præcipit matrimonium affirmativa eſt, requirit enim occaſionem, id eſt vires, & ſumptus tam ad procreandam, quam educandam ſobolem, jam autem has res ſinguli non habent: *Deinde* omne matrimonium debet tendere ad manifeſtandas Dei perfectiones, tanquam ad finem rerum omnium ultimum, atqui hic finis ſæpe melius poteſt obtineri in cœlibatu, quam matrimonio. *Relate denique ad illam perſonam*, cum qua matrimonium contrahitur, eſt ſocietas *pacticia*, *ſeu voluntaria*, quia electio perſonæ provenit a mutuo conſenſu.

De-

Demum matrimonium eſt ſocietas *æqualis*, quia ex natura, & fine hujus ſocietatis uterque conjugum æquales habet obligationes, videlicet procreandi, & educandi ſobolem, ergo etiam æqualia jura; ſed ubi ſunt jura æqualia, ibi deeſt imperium, & illa ſocietas, in qua nullum eſt imperium, eſt æqualis. *Interim* poteſt alterutra pars ſpeciali pacto ſive expreſſe, ſive tacite imperium obtinere, quia quilibet poteſt ſuis juribus permiſſivis renunciare.

Grotius putat marito competere imperium, quod ejus major ſit dexteritas, & prudentia. Verum hoc fallit ſæpenumero. Deinde hoc tantum eſſet meritum ad imperium, non vero ipſum imperium, ſecus omnis imprudentior deberet ſubeſſe prudentiori. *Sed ſine imperio media ad finem matrimonii idonea effectu carebunt, neutra enim pars obligatur alteri parere.* Minime gentium, nam media quæ unus conjugum proponit, vel ſunt gravioribus rationibus munita, vel æqualibus, quam illa, quæ alter conjugum proponit: ſi *primum*, tunc altera pars illa amplecti debet non propter imperium, ſed propter graviora motiva; ſi *ſecundum*, tunc communi conſilio debet determinari, quid ſit eligendum, uti in omni ſocietate æquali.

§ 240.

Contrahere matrimonium non poſſunt 1° uſu rationis deſtituti, quia matrimonium contrahi-

tur pacto, ſed uſu rationis deſtituti paciſci non poſſunt. 2° qui vel ob ætatem, uti infantes, vel ob impedimentum corporis, veluti plene caſtrati &c. ſobolem procreare non poſſunt, quia non poſſunt finem matrimonii obtinere, 3° qui non poſſunt ſobolem educare, quia non poſſunt alterum finem matrimonii obtinere. Nullum autem eſt matrimonium in errore ſubſtantiali in ipſam perſonam cadente initum, ſi v. g. loco Rachelis Lia ſupponeretur, quia pactum in tali errore initum eſt nullum; Si enim error tantum accidentalis intervenit intuitu qualitatum perſonæ, v. g, duxit quis pauperem, quam putabat divitem, matrimonium eſt validum, quia pactum in errore accidentali initum validum eſt, atque error illi nocet, qui eſt cauſa erroris: Sic etiam nullum eſt matrimonium, ad quod quis vi injuſta compellitur, quia vi injuſta extortum pactum eſt nullum: *Attamen* iſta convaleſcerent accedente partis læſæ ratihabitione, quia adeſſet liber, & verus conſenſus, qui validum facit matrimonium.

§ 241.

Matrimonio ſolent præmitti *ſponſalia*, quæ ſunt pactum de ineundo matrimonio. Hinc I. Sponſalia ex tractatu præparatorio, conſenſu ambiguo, ſponſalitia largitate non naſcuntur, quia non probant verum conſenſum, jam autem ad pactum requiritur verus, utrinque ſufficien-

ter

ter declaratus conſenſus. II, Sponſalia poſſunt pure, conditionate, expreſſe, tacite, per ſe, vel mandatarium celebrari, quia ita poſſunt iniri pacta, ſponſalia autem ſunt pactum. III. Sponſalia conjugati ſunt nulla, quia pactum de re aliena, utpote moraliter impoſſibili eſt nullum, conjugatus autem hoc promitteret, quod ad uxoris ſuum pertinet; ſic etiam nulla ſunt ſponſalia ejus, qui ea implere non poteſt, hoc eſt matrimonium contrahere, quia pactum de re phyſice impoſſibili eſt nullum. IV. *Sponſalia priora derogant poſterioribus*, quia poſteriora ſunt de re aliena, tale autem pactum eſt nullum, *Et quidem etiamſi poſterioribus juramentum, vel nuptiæ accederent*, quia juramentum ſequitur naturam actus, cui adjicitur; & nuptiæ ſine jure factæ non poſſunt alteri invito jus ſuum auferre. *Hoc tamen jure poſitivo non obtinet*, quia majus damnum redundaret in jam conjugatam, quam tantum deſponſatam. V. Sponſus, & ſponſa poſſunt cogi ad ineundum matrimonium, quia, qui pactum violat, lædit, contra lædentem autem datur jus cogendi: *Præſtat tamen invitum alia pœna afficere*, quia coacta matrimonia infauſtos habent exitus. VI. A ſponſalibus licet etiam recedere ob juſtas cauſas, v. g. ob mutuum diſſenſum, deficientem conditionem, perfidiam &c. quia ex his cauſis ceſſant pacta.

§ 242.

Societas conjugalis vel eſt *Monogamia*, ſi inter duas tantum perſonas ineatur, vel *Polygamia*, ſi inter plures ineatur, & quidem Polygamia vel eſt *Polygynæcia*, ſi vir plures habeat uxores, vel *Polyandria*, ſi uxor habeat plures viros. Utraque vel eſt *ſucceſſiva*, ſi diverſo tempore, v. g. mortua una parte ineatur, vel *ſimultanea*, ſi fiat eodem tempore. *Polygamia* ſucceſſiva ſive ſit polygynæcia, ſive polyandria, eſt licita, quia etiam cum alia perſona poteſt finis matrimonii obtineri. *Polyandria autem ſimultanea vetita eſt*, quia in ea Pater eſt incertus, ergo educatio ſobolis obtineri nequit; *Deinde* femina ex uno tantum viro poteſt concipere, ergo reliquæ conjunctiones ſunt ſcortatio, quæ vetita eſt. *At Polygynæcia jure naturæ abſoluto non eſt probibita*, quia Pater eſt certus, vir enim ex pluribus ſimul uxoribus prolem procreare, & educare poteſt. *Deinde* hoc a Deo in veteri teſtamento plene fuit permiſſum. *Deuter. XXI. Attamen* polygynæcia legi naturali hypotheticæ, ſeu ſub certis circumſtantiis conſideratæ repugnat, quia plurium uxorum, & prolium ſuſtentatio majores ſumptus requirit, inter diverſas uxores, & proles concordia ægre habetur, ergo finis matrimonii difficulter obtinetur. *Immo* conſtat majorem fere numerum marium naſci, quam feminarum, ergo per poly-

gy-

gynæciam impedirentur alii in jure ducendi uxorem, quod non licet. *Denique* pluralitatem uxorum Evangelium prohibet *I. Cor. VII.*

Objicitur matrimonium eſſe ſocietatem æqualem, adeoque vel utrique licitam eſſe polygamiam, vel neutri. Verum æqualis ſocietas tollit tantum imperium, non etiam naturalem prærogativam, quam maritus præ uxore habet, quod nimirum ille ex pluribus ſimul uxoribus generare, hæc autem tantum ex uno viro concipere valeat. *Deinde matrimonium eſſe pactum bilaterale, in quo æqualitas ſervari debet.* Ita, & æqualitas moralis ſervatur etiam in polygynæcia, tantum enim juris maritus in uxorem transfert, quantum ſufficit ad finem matrimonii obtinendum.

§ 243.

Officia conjugum in *genere* ſunt, obligantur ad omnia ea, quæ ad procreationem, & educationem ſobolis ſunt neceſſaria, & quæ ſibi invicem promiſerunt, quia cujuslibet ſocietatis ſocii obligantur ſuæ ſocietatis finem promovere, & pactum obſervare. *In ſpecie autem* obligantur cohabitare, rem familiarem, & domeſtica negotia communiter gerere, *matrimonii onera ſimul ferre*, hoc eſt victum, amictum, & habitationem liberis conjunctim præſtare, quia ſunt media neceſſaria ad finem matrimonii conſequendum: *Præterea* obligantur abſtinere ab

adulterio, ſeu comixtione cum perſona extranea, quia hoc repugnat datæ fidei conjugali. Et vel eſt polyandria, vel polygynæcia, vel ſcortatio, jam autem ab omnibus his abſtinendum eſt. *Et quidem* hæc obligatio conjugum non poteſt alteri cedi, aut in alium transferri, quia eſt mere perſonalis, fundatur enim in mutuo amore, & determinatis qualitatibus electæ perſonæ, ſecus enim cum ea non fuiſſet initum matrimonium.

§ 244.

Ad reſolvendam quæſtionem, an jure naturæ licita ſint inter conſanguineos, & affines matrimonia, ſcire nos oportet, quid ſit conſanguinitas, & affinitas. *Conſangvinitas* eſt connexio perſonarum a communi ſtipite deſcendentium: Eſtque vel *Agnatio*, ſi connexio perſonarum ex maribus profluat, vel *Cognatio*, ſi connexio perſonarum ex feminis deſcendat. In omni conſanguinitate dantur gradus, & lineæ. *Gradus* eſt diſtantia perſonarum a communi ſtipite: Hinc tot ſunt conſanguinitatis gradus, quot ſunt novæ generationes, quia quælibet nova generatio magis removet generatum a communi ſtipite, ergo parit novam diſtantiam perſonarum a communi ſtipite, quod gradus eſt. *Linea* eſt ſeries perſonarum a communi ſtipite deſcendentium. Et quidem vel *recta*, ſeu ſeries perſonarum a communi ſtipite deſcendentium,

tium, quarum una alteram genuit, *vel obliqua & collateralis*, ſeu ſeries perſonarum a communi ſtipite deſcendentium, quarum una alteram non genuit: Linea recta alia eſt *aſcendens*, ſi ad genitores reſpiciatur, uti eſt pater, avus; proavus &c. alia *deſcendens*, ſi reſpiciatur ad genitos, veluti filium, nepotem, pronepotem &c. In linea recta hæc eſt regula computandi gradus: *Tot ſunt gradus, quot perſonæ una demta* quia tot ſunt gradus, quot ſunt novæ generationes, jam autem in linea recta tot ſunt novæ generationes, quot perſonæ ultima demta, ejus enim vel nulla eſt, vel non conſideratur generatio, ergo. Sic pater, & filius ſunt in primo gradu conſanguinei.

§ 245.

Ut lineam collateralem concipiamus, duæ debent aſſumi lineæ rectæ in communem ſtipitem aſſurgentes, & ad ſe invicem relatæ, quia linea collateralis eſt, quæ continet quidem perſonas a communi ſtipite deſcendentes, ſed quarum una alteram non genuit, uti ſunt fratres, & ſorores, horumque poſteri. Eſtque duplex alia *æqualis*, ſi ex uno latere tot ſint perſonæ, quot ex altero: alia *inæqualis*, ſi in uno latere plures ſint perſonæ, quam in alio. *In linea collaterali duplex eſt modus computandi gradus*, alter in jure civili romano, alter in jure eccleſiaſtico receptus: In jure civili romano eſt hæc re-

regula: *Tot ſunt gradus, quot perſonæ in utraque linea demta una*, vi hujus duo fratres ſunt ſibi conſanguinei in ſecundo gradu, quia duo fratres cum patre tanquam ſtipite ſunt tres perſonæ, una demta remanent duæ, ergo etiam duo gradus. In jure eccleſiaſtico & quidem pro linea æquali eſt hæc regula: *Illo gradu ſunt inter ſe conſanguinei, quo uterque diſtat a communi ſtipite*, quia quæ ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe, & quomodo ſunt æqualia uni tertio, ita etiam ſunt æqualia inter ſe, jam autem collaterales ideo ſunt inter ſe conſanguinei, quia a communi ſtipite deſcendunt, ergo etiam ita debent inter ſe eſſe conſanguinei, quomodo a communi ſtipite deſcendunt. Vi hujus regulæ duo fratres ſunt ſibi conſanguinei in primo gradu. Pro linea autem inæquali eſt hæc regula: *Illo gradu ſunt inter ſe conſanguinei, quo remotior diſtat a communi ſtipite*, quia quæ non ſunt æqualia uni tertio, nec ſunt æqualia inter ſe, & quomodo non ſunt æqualia uni tertio, ita differunt inter ſe, jam autem inter collaterales remotior facit differentiam, & quidem tot graduum, quot gradibus diſtat a communi ſtipite, ergo. Sic patruus cum ſuo fratruele, ſeu frater cum fratris ſui filio eſt in ſecundo gradu conſanguineus, quia iſte duobus gradibus diſtat a communi ſtipite. *Hinc* modus computandi gradus in jure eccleſiaſtico uſitatus naturæ magis eſt conformis, quam in jure romano receptus,

ptus, quia magis naturale eſt, ut duo fratres, quibus in linea obliqua propiores cogitari non poſſunt, ſint ſibi in primo gradu potius conſanguinei, quam ſecundo, præſertim cum ſecundus ſine primo nec concipi poſſit.

§ 246.

Affinitas eſt conjunctio inter unum conjugem, & alterius conjugis conſanguineos orta ex matrimonio. Hinc affinitas non egreditur perſonas conjugatas, adeoque inter conſanguineos mariti, & conſanguineos uxoris nulla eſt affinitas, quia nullum matrimonium, quod eſt fundamentum affinitatis. In affinitate ſtricte nulli dantur gradus, quia perſonæ, inter quas intercedit affinitas ſola, a communi ſtipite non deſcendunt, dantur tamen quaſi gradus ob mutuam conjugum connexionem, cum enim conjuges connexi ſint, etiam alterius conjugis propinqui cum altero conjuge connexi videntur. *Regula* computandi gradus in affinitate: *Quoto gradu quis uni conjugi eſt conſanguineus, eodem gradu eſt alteri conjugi affinis.* Quia ideo eſt uni affinis, quia eſt alteri conſanguineus, ergo etiam ita debet eſſe uni affinis, ſicut eſt alteri conſanguineus. Sic ſoror uxoris eſt marito affinis in primo gradu, quia ſuæ ſorori eſt conſanguinea in primo gradu: Ita etiam privignus ſuæ novercæ eſt affinis in primo gradu, quia in primo gradu eſt conſanguineus ſuo patri.

§ 247.

Matrimonia inter cognatos in linea recta ſunt in infinitum prohibita, quia parerent jurium naturalium confuſionem, æqualitas enim conjugum cum imperio parentali nequit conſiſtere. *Deinde* manifeſtam præberent occaſionem violandi obligationem naturalem, reverentia enim filialis magnopere pugnat cum illa familiaritate, quæ inter conjuges intercedere debet, quæ autem manifeſtam præbent occaſionem violandi naturalem obligationem licita eſſe nequeunt, ſecus lex naturalis non eſſet immutabilis. *Nihil vero facit contra hanc ſententiam*, quod Imperans poſſit cum ſibi ſubdita inire matrimonium: Quia imperantis jus eſt pactitium, cui renunciare licet, non item parentali, utpote in lege naturali fundato. *At matrimonia* inter cognatos in linea obliqua, & inter affines jure naturæ abſoluto licita ſunt, quia hi nec reverentiam, nec ſubjectionem ſibi mutuo debent, ſic olim Adami filii cum ſuis ſororibus licite matrimonia iniverunt. *Sufficiens* tamen adeſt fundamentum ea prohibendi, quia genus humanum ſufficienter eſt auctum: Et perpetua, harum perſonarum familiaritas, & converſatio poſſet inhoneſtas conſuetudines gignere, ſi ſperarentur nuptiæ.

§ 248.

Divortium eſt diſſolutio matrimonii, aliud eſt *totale* ſeu divortium quoad vinculum, dum ita diſſolvitur matrimonium, ut viventibus conjugibus aliud iniri poſſit: aliud *partiale*, ſeu divortium quoad thorum, & menſam, per quod conjuges ab invicem quidem ſeparantur, quin tamen poſſint ad ſecundas nuptias transire. Matrimonium jure naturæ in regula continet individuam vitæ ſocietatem, quia matrimonium non eſt ſocietas mere pactitia, ſed ſimul legalis, ergo ſolo diſſenſu pro libitu non poteſt diſſolvi. *Deinde*, ambo conjuges obligantur ſobolem educare, ad quod multi anni requiruntur. *In exceptione tamen*, id eſt, ſi vel alterutra pars foret ſterilis, vel liberi aut mortui, aut jam educati eſſent, vel ob adulterium, aut morum crudelitatem perpetuæ timerentur inimicitiæ, tunc divortium quoad vinculum etiam non eſt illicitum, quia in talibus circumſtantiis totalis diſſolutio matrimonii nec legi, nec pacto adverſatur; *non legi*, quia cum ſterilitate, perpetuo odio finis matrimonii obtineri non poteſt, mortuis autem, vel jam educatis prolibus obtentus eſt, ergo ceſſat ratio legis, quæ matrimonium præcipit, *non pacto*, quia pacta mutuo diſſenſu tolluntur. *At Evangelium* prohibet divortium quoad vinculum. *Matth. XIX.*

CAPUT III.

De ſocietate parentum, & liberorum.

§ 249.

Societatem conjugalem regulariter conſequitur parentalis, & ſic nova jura, & obligationes oriuntur parentibus intuitu liberorum, *Liberi* gaudent jure connato ſe conſervandi, & perficiendi, quia ſunt homines. Hæc tamen jura ut primum naſcuntur, exercere non valent, quia tunc valde imbecilles ſunt, uti conſtat experientia. *Ideo parentes obligantur perfecte ſuos liberos educare*, quia ad id ſe obligarunt pacto conjugali, pacta autem pariunt perfectam obligationem, *Præterea* ſi liberos, quos generando ad ſtatum imbecillem collocarunt, non educarent, ſed miſere perire ſinerent, profecto læderent, impedirent enim eos in jure ſe conſervandi, & perficiendi, jam autem neminem lædere perfecte obligamur. Hinc parentibus competit *poteſtas parentalis*, hoc eſt jus actiones liberorum ad finem educationis determinandi. *Educare autem eſt* prolibus victum, amictum, habitationem præſtare, easque aptas ad id efficere, ut ſibi de rebus neceſſariis proſpicere, atque actiones ſuas ad propriam felicitatem dirige-

gere valeant. Quia parentes obligantur ſuas proles educare, ergo iis competit jus ſuas proles educandi, obligationi enim correlatum eſt jus, ſed jus hoc eſt poteſtas parentalis, ergo. Poteſtatis parentalis *principium proximum* eſt obligatio educandi, *remotum autem* generatio, quia ideo parentes habent jus ſuos liberos educandi, quia obligantur eos educare, ideo autem obligantur eos educare, quia generarunt, ergo.

Non audias Puffendorfium, qui poteſtatem patriam derivat ex ſocialitate, vel pacto præſumto cum liberis. Quia ſocialitas patriam poteſtatem omnibus, etiam qui non ſunt parentes, tribueret, ad ſocialitatem enim omnis homo natus eſt. Pactum autem præſumtum tantum fingitur; & quale abſurdum, ſi filii declararent ſe nolle ſubeſſe imperio parentali, præſumtio deberet cedere veritati, & ſic filii ab obligatione naturali ſe poſſent pro libitu liberare. Neque Hobbeſium, qui *ſcribit filium eſſe matris jure occupationis.* Quia imprimis liberi non poſſunt occupari, *deinde* patri non competeret patria poteſtas. *Denique* potius obſtetrices occuparent in neo natas proles imperium, quanta abſurda!

§ 250.

Poteſtas parentalis ſe tantum ad illas actiones extendit, quæ ad educationem liberorum pertinent, quia omnis poteſtas a fine ſocietatis accipit menſuram, finis autem ſocietatis paren-

talis

talis eſt educatio. *Hinc* parentes non habent jus necandi, mutilandi, exponendi liberos, aut iis alimenta denegandi, quia hoc adverſatur educationi, nec habent *dominium* in liberos, ſeu jus de vita, & membris ipſorum pro lubitu diſponendi, quia dominium non cadit in homines. Habent vero jus, & obligationem ſuas proles *alendi*, in ſpecie prolem a ſe genitam mater lactare tenetur, quia lac humanum optimum eſt pro infantibus nutrimentum, ejusque copiam matri ipſa natura ſuppeditat, finibus autem rerum a Deo creatarum convenienter eſt vivendum, niſi id vel *phyſice* ob morbum, vel *moraliter*, veluti ſi lac matris ſanitati prolis officeret, eſſet impoſſibile, ad impoſſibilia enim non datur obligatio: *Item* perficiendi in anima, corpore, & ſtatu externo, adeoque proles ſuas inſtituendi in religione, in virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus, in ſcientiis, artibus, aliisque mediis, quibus vitam honeſte tolerare poſſint, quia hoc eſt educare. Caveant autem parentes, ne verbo aut facto ſcandalum præbeant, quia eorum exemplum in utramque partem fortiſſimum eſt motivum liberis, qui ad imitandum natura proclives ſunt, difficileque erit contractam a teneris conſuetudinem emendare. Et quidem ad hæc parentes perfecte obligantur, quia ſecus lædunt alterum conjugem, cui vi pacti conjugalis promiſerunt mutuum adjutorium ad finem educationis, & lædunt etiam

pro-

proles, illas enim impediunt in jure connato ſe conſervandi, & perficiendi, lædere autem repugnat perfectæ obligationi. *Interim* parentes habent jus ſumtus educationis repetendi, ſi liberi ad meliorem ſtatum pervenerint, quia ſumtus fecerunt ob extremam liberorum neceſſitatem, jam autem id, quod alteri ob extremam neceſſitatem præſtitum eſt, ea ceſſante repeti poteſt, is enim tunc rem reſtituere obligatur, ergo obligationi reſtituendi correlatum eſt jus repetendi.

Equidem parentes perfecte obligantur ſumtus facere. Sed etiam perfecte obligamur in neceſſitate conſtitutis ſuccurrere, ſalvum tamen eſt jus repetendi. *Neque donatio præſumi poteſt*, res enim ſuas abjicere adverſatur legi naturali, *deinde* quamprimum parentes ſumtus repetunt, præſumtio debet cedere veritati.

§ 251.

Societas parentalis eſt ſtatus, in quo parentes jus perſectum, & affirmativum habent in liberos ad finem educationis conjunctis viribus obtinendum. *Hæc* tunc primo incipit, quando proles uſum rationis nanciſcuntur, quia ante uſum rationis nec finem cognoſcere, nec voluntates ſuas ad finem obtinendum conjungere poſſunt, quod tamen uniuscujusque ſocietatis requiſitum eſt. Itaque proles ante uſum rationis juſſa parentum facere obligabantur tantum

ani-

animaliter, poſtea vero *moraliter*, quia prius tantum arbitrarias, deinde vero ponunt liberas actiones. Societas parentalis eſt *legalis*, quia lex naturalis præcipit parentibus, & liberis tendere ad finem educationis: Deinde eſt *compoſita*, ſi uterque parens vivat, tunc enim etiam ex conjugali conſtat, *ſimplex* vero, ſi alteruter conjugum deficiat, tunc enim ſola parentalis ſubſiſtit. *Semper autem eſt inæqualis*, quia parentes in liberos habent imperium parentale, jam autem ſocietas, in qua datur imperium, inæqualis eſt. *Hinc* I. parentes poſſunt ſuis liberis leges parentales præſcribere, quas liberi obſervare debent, quia quilibet imperans poteſt ſuis ſubditis leges ferre, quas ſubditi obſervare debent; II. Poſſunt inobedientes punire, quia ſecus ſine effectu eſſet imperium parentale, non enim poſſet educatio obtineri, verum pœnæ hæ debent tendere ad emendationem, non vero valetudini, aut integritati membrorum nocere, quia ſecus fini educationis repugnarent. III. Poſſunt operas liberorum in ſuam utilitatem convertere, quia habent jus ſumtus educationis repetendi, *deinde* nemo obligatur illos juvare, qui ſibi ipſis ſufficiunt. Liberi autem obligantur 1. ſuis parentibus obedire, quia omni imperio correlata eſt obligatio parendi. 2. obligantur eos egentes alere, quia & ſumtus educationis refundere, & grati eſſe tenentur. 3. ſine conſenſu parentum non poſſunt paciſci, quia hoc

&

& obedientiæ erga parentes, & fini educationis adverſatur, poſſent enim circumveniri, ideo *Numer. XXX.* Pater filiorum ſuorum vota, & juramenta irrita reddere poteſt. 4. non poſſunt ſe pro lubitu imperio parentali ſubducere, quia eſt legale, a lege autem nemo pro lubitu ſe eximere poteſt. 5. poſſunt tamen res, & jura aquirere a parentibus non violanda, ſi his ſumtus educationis jam reſtituerunt, quia quilibet ſocius privato etiam ſuo commodo ſtudere poteſt.

Male hic applicares regulam: Acceſſorium ſequitur ſuum principale. Quia hæc, etiam dum vera eſt, ſonat tantum de rebus dominii capacibus, liberi autem nec res ſunt, nec in dominio parentum.

§ 252.

Impuberes naturaliter ſunt homines, qui ſoli nec de alimentis ſibi proſpicere, nec proprias actiones ad futuram felicitatem dirigere poſſunt, *Majorennes* autem, qui ad utrumque ſunt idonei; *Minorennes* denique, qui tantum ad alterutrum ſunt apti. Hinc minorennium matrimonium contra voluntatem parentum initum eſt nullum, quia minorennes non poſſunt finem matrimonii obtinere, videlicet educationem, hæc enim & alimenta, & informationem liberis præſtandam requirit, jam autem minorennes ad utrumque non ſunt apti. Majoren-

nium vero eſſet quidem validum, ſed tamen illicitum, *validum* propterea, quia illi & alimenta, & informationem liberis jam præſtare poſſunt, ſunt enim ad utrumque idonei, ergo poſſunt finem matrimonii obtinere, *illicitum* propterea, quia agere contra voluntatem parentum irreverens, & ingratum eſt, adeoque illicitum. *Emancipatio* eſt actus, quo proles parentali poteſtate dimittitur. Hanc parentes pro ſuo arbitrio exercere non poſſunt, quia ab obligatione naturali educandi proles ſe liberare non poſſunt: Quod ſi liberi attingant majorennitatem, naturaliter emancipantur, quia tunc ceſſat finis educationis, jam enim proles educatæ ſunt, ergo ceſſat, ratio legis, ergo ſocietas legalis, ergo poteſtas parentalis. *Attamen* obligatio reverentiæ & gratitudinis erga parentes ſemper permanet, quia parentes nunquam deſinunt eſſe parentes, & maximi liberorum benefactores, utpote, qui in educatione liberorum multiplices curas, atque moleſtias ſuſtinuerunt.

Non dicas poteſtatem parentalem finita etiam educatione perdurare, ſi quidem, quidquid facto meo juſto produco, illud ſit meum aquiſitum. Quia hæc regula pertinet tantum ad res, *deinde* ſæpe filii contra voluntatem genitorum procreantur. *Denique* animam, quæ præcipua pars hominis eſt, immediate a Deo accipiunt.

§ 258.

§ 253.

Liberi nullius patrium imperium agnoſcere tenentur, quam ſuorum parentum, quia eſt mere perſonale jus, fundatur enim remote in generatione, ergo tantum parentibus competit. *Hinc* 1. Liberi reſpectu extraneorum utuntur libertate naturali, quia eorum imperium agnoſcere non tenentur. 2. Parentes jus patrium in alios transferre non poſſunt, quia jura mere perſonalia perſonam non egrediuntur; juris tamen hujus exercitium poſſunt aliis permittere, ſi vel egeni ſit, vel aliter impediti, quia ſecus liberi non perficerentur. *Qui* in educatione vices ſubeunt parentum, vel mandatarii ſunt, vel negotiorum geſtores, quia negotium parentum vel eorum mandato, vel quaſi mandato gerunt. *Et quidem* horum eadem ſunt jura, & obligationes quæ parentum, quia parentum jura, & obligationes deſcendunt proxime ex obligatione educandi, jam autem etiam iſti obligantur liberos ſibi comiſſos educare. *In ſpecie tutores* vocantur, qui *pupillos* educant, hoc eſt impuberes parentibus deſtitutos: Inter hos intercedit ſocietas tutelaris, quia & tutores, & pupilli ad communem finem educationis tendere obligantur: Sed majorennitate ceſſat, quia ceſſat ejus finis, ceſſante autem fine ceſſat ſocietas.

§ 254.

Patria poteſtas utrique parenti, & patri, & matri æqualiter competit, quia fundamentum ejus eſt obligatio educandi, & generatio, utrumque autem utrique parenti eſt commune, ergo etiam patria poteſtas. *Hinc* mortuo alterutro parente patria poteſtas ſuperſtiti accreſcit, quia utrique competebat, viventes tamen poſſunt etiam pacto tacito inter ſe determinare, ut alteruter parentum ſolus exerceat patriam poteſtatem, quia poteſt exercitium juris parentalis in alios transferri præſertim ſi per id liberi magis perficiantur. *Quod ſi ſoboles* extra matrimonium, ex vaga libidine ſuſcipiatur, tota obligatio educandi, & poteſtas parentalis ſoli matri competit, quia tunc mater certa, pater autem incertus eſt, imo juridice nullus, in jure enim idem eſt, non eſſe, & non apparere, nam in jure omnia debent eſſe manifeſta, ideo enim certa præſtruuntur principia, ut ex illis omnia poſſint demonſtrari, non entis autem nullæ qualitates.

C A-

CAPUT IV.

De ſocietate herili.

§ 255.

Societas herilis in *ſenſu lato* eſt ſtatus, in quo quis jus perfectum habet ab altero operas exigendi pro alimentis, *ſervitus* autem eſt ſtatus, in quo quis operas pro alimentis præſtare perfecte obligatur. Tale jus aquiritur vel pacto vel lege *Pacto* propterea, quia quilibet homo eſt dominus ſuarum actionum, ergo quoad illas ſe alteri obligare poteſt, præſertim cum operæ hominis habeant ſuum valorem, & pretium, poſſunt cum alimentis, id eſt victu, & amictu permutari. *Lege* propterea, quia qui pro debito, quod vel pacto, vel læſione contraxit, non poteſt aliter, quam operis ſatisfacere, illum lex naturalis obligat, ut ſuo creditori præſtet operas, ſecus enim maneret cauſa damni; Et creditor jus ſuum remittere non obligatur. *Sic etiam* illum, qui alimenta ſibi aliter comparare nequit, quam operis, lex naturalis ſtringit ad præſtandas operas, ſecus enim ſe non conſervaret: Et nemo tenetur homini ad laborandum idoneo alimenta gratis præbere, non eſt enim in extrema neceſſitate. *Hinc* qui jus perfectum

 ha-

habet operas exigendi pro alimentis, dicitur *herus, vel hera:* qui vero operas præſtare pro alimentis perfecte obligatur, *ſervus, vel famulus, vel ancilla.*

§ 256.

Inter herum, & famulum intercedit ſocietas herilis. quia vivunt in ſtatu, in quo herus jus perfectum, & affirmativum habet in operas famuli pro alimentis ad communem finem, qui ex parte heri ſunt operæ, ex parte autem famuli alimenta. conjunctis viribus obtinendum, jam autem talis ſtatus eſt ſocietas hypothetica, cum vero herus ſit potior perſona, & a potiori fiat denominatio, recte vocatur ſocietas herilis. Hæc vel eſt *ſimplex*, ſi tantum ex hero, & famulo conſtet, vel *compoſita*, ſi accedat ſocietas conjugalis, vel parentalis. Semper vero *inæqualis*, quia herus habet imperium, nam poteſt operas præſtandas quoad genus, vel ſaltem quoad ſpeciem determinare. *In ſocietate herili* quantitas, & qualitas operarum, atque alimentorum, id eſt, heri, & famuli jura, atque obligationes ex mutua ſaltem tacita conventione determinari debent, quia eſt ſocietas pactitia, ad minimum enim tacite celebratur contractus oneroſus ex parte famuli facio, ut des, & ex parte heri do, ut facias, nam nec herus alimenta, nec famulus operas gratis præſtare vult, jam autem in ſocietate pactitia jura, & obligatio-

tiones ſociorum ex mutua conventione definiuntur. *Quodſi* pro operis non dentur alimenta, sed pecunia, quod fieri poteſt ideo, quia pecunia eſt æquivalens univerſale, tunc naſcitur locatio conductio operarum, & famulus vocatur *mercenarius*, quia locatio conductio operarum eſt contractus, vi cujus pro operis datur pecunia, quæ mercedis venit nomine.

§ 257.

Servitus vel eſt *limitata*, *minus plena*, *imperfecta*, in qua operæ tantum certi generis, vel omnis quidem generis, ſed ſolummodo ad tempus debentur, talis ſervus vocatur *minus plenus*: vel *illimitata*, *plena*, *perfecta*, *obnoxia*: *ſtricte talis*, in qua operæ omnis generis in perpetuum debentur, qui hanc ſervit, eſt ſervus *obnoxius*, & *ſtricte talis*. Ita etiam ſocietas herilis vel eſt *deſpotica*, *ſeu dominica*, quæ ſervitutem involvit perfectam, id eſt, in qua herus jus habet de ipſa operarum ſubſtantia, & conſectariis ita diſponendi, ut ſervus nec ſibi quidquam aquirere, nec ſe alteri obligare invito domino amplius poſſit: vel *herilis in ſpecie*, quæ continet ſervitutem imperfectam, hoc eſt, in qua herus habet jus tantum certi generis operas, vel tantum temporarias exigendi. *Item* ſervitus vel eſt *ultronea*, cui ſe quis ſponte addicit, talis ſervus vocatur *voluntarius*, vel *coacta*, quam quis vi, & metu juſto ſubire cogitur, uti

ſi debito, quod vel pacto, vel læſione contraxit, aliter ſatis facere nolit, vel non poſſit, talis ſervus eſt *mancipium.* Sic etiam ſocietas herilis alia eſt *ultronea*, alia *coacta*, illa habet ſervum voluntarium, hæc neceſſarium. Utraque tamen aliquod pactum ſupponit, quia nulla ſocietas eſſe poteſt ſine unione voluntatum, hæc autem ſine pacto ſaltem tacito.

§ 258.

De ſervitute manifeſtæ ſunt hæ veritates: I. Nulla datur naturaliter originaria ſervitus, quia naturaliter omnis homo habet libertatem a ſubjectione. II. Coacta ſervitus non naſcitur niſi poſita prius læſione, quia tantum contra lædentes competit jus cogendi. III. Si quis alterum non poſita læſione cogat ſervire, licet ille majoris mali vitandi cauſa ſerviat, non eſt tamen in ſervitute juſta, poteſt ex illa ſe eliberare, quia herus non habet jus tunc operas exigendi. IV. Etiamſi quis alterum vi juſta in ſervitutem redigat, antequam tamen hic ſaltem tacite non conſentit, non oritur ſocietas, quia nulla ſocietas eſt abſque unione voluntatum, hæc autem ſine conſenſu non intelligitur. V. Bello captus non eſt ſtatim ſervus, ſed tunc tantum, quando læſionem aliter non vult, vel non poteſt reparare, quia non licet adhibere media duriora, quamdiu ſufficiunt leniora.

§ 259.

Servitus ultronea a coacta in eo differt: 1. Quod ſervo ultroneo non poſſint aliæ operæ demandari, quam ad quas ſe obligavit, mancipio autem poſſint omnis generis, quia ſervitus ultronea fundatur in pacto, ex pacto autem nemo magis obligatur, quam ſe obligatum velle declaraverit, coacta autem jure belli extorquetur, quod indefinitum eſt. 2. Quod ſervus ultroneus non, poſſit autem mancipium juſte alienari, quia ſervus ultroneus inivit obligationem mere perſonalem, non enim cuicunque hero obligare ſe voluit, talis autem obligatio perſonam non egreditur; mancipium autem init obligationem realem, in ſervitutem enim neceſſario redigitur, ut pro læſione præſtitis operis ſatisfaciat, obligatio autem realis in alios transmitti poteſt 3° Quod ſervo ultroneo, & obnoxio, ſi incidat in morbum, ut laborare amplius nequeat, dominus perfecte obligetur victum, & amictum præbere, non item mancipio; quia ſervus ultroneus, & obnoxius cum ſuo domino celebravit contractum quaſi aleatorium, vi cujus pro obligatione ad omnes operas præſtandas, & quidem ita, ut nihil ſibi amplius aquirere poſſit, ſtipulatus ſibi eſt perpetuam alimentorum certitudinem, ab obligatione enim ſe conſervandi nemo liberatur, jam autem ex contractu naſcitur obligatio perfecta: Cum mancipio

autem talis contractus initus non eſt, quia iſte non ſponte, ſed neceſſario ſervit. *Ad hoc etiam* non obligatur ex juſtitia dominus intuitu ſervi minus pleni, quia hic poteſt ſibi res, & jura aquirere ab hero non violanda, non enim omnes ejus operæ ſunt in dominio heri. *Niſi ad extremam neceſſitatem redigerentur*, quia tunc homo jus perfectum habet ad res neceſſarias.

§ 260.

Verna eſt proles ex ſervis parentibus nata. Vernæ ad dominum ancillæ tanquam ſervi obnoxii haud pertinent; quia nulla datur naturaliter originaria ſervitus, ſed vel pacto, vel læſione aquiritur, jam vero vernæ nec pacti, nec læſionis ſunt capaces. *Deinde* pater ejusmodi prolis nec dominium, nec jus parentale potuit in herum transferre; non dominium, hoc enim in ſuam prolem ipſe non habuit; non jus parentale, nam hoc mere perſonale eſt.

Puffendorfius ita contra nos argumentatur: Partus hominis eſt in fructu, ſed illius eſt fructus, cujus eſt res, quæ fructificat. Verum tantum res ſunt in fructu, verna autem non eſt res, ſed homo. *Sed dominus non occidendo parentes, conſequenter non impediendo nativitatem vernæ dominium aquirit.* Nequaquam, iſte enim non eſt modus aquirendi herilem poteſtatem, ſecus etiam obſtetrices natarum prolium dominas ſe poſſent dicere, quod ridiculum eſt. *Sed verna*

ſum-

ſumptibus domini ancillæ alitur. Ita, ſed ubi eos perſolverit, libertati debebit reſtitui, non ergo nativitas, quod erat in quæſtione, ſed debitum ob ſumtus educationis in ſe erogatos contractum facit vernum ſervilis conditionis.

§ 261.

In ſocietate herili herus habet jus *ſervos inobedientes puniendi*, quia ſecus inutile eſſet imperium: *fugitivos perſequendi*, quia habet jus in eorum operas; *ab iis, qui forte ſervos corrumperunt, debitam petendi damni reparationem* quia læſus habet jus a lædente petendi ut læſio ceſſet: *Non habet autem jus vitæ, & necis in ſervos*, quia dominium in homines non cadit, quia tale jus repugnat naturæ ſocietatis, non enim tenderent unitis viribus ad eundem finem, quia tale jus in dominum transferri non potuit, ſervus enim domino aliter obligatus eſſe non poteſt, quam ſalvis officiis erga ſe. *Quodſi tamen* ſervus indueret animum hoſtilem, nec alius eum coercendi daretur modus, jure poſſet occidi, quod jus etiam ſervo contra dominum in ſimili caſu colliſionis denegari non poteſt, quia jus ſe defendendi homini connatum eſt, & competit contra omnem injuſtum aggreſſorem ſine reſpectu perſonarum. *Servus* vero habet jus ad amorem ſui domini, & cetera humanitatis officia, quia eſt homo: Servus etiam ſtricte talis ratione *ſtatus naturalis* habet perſonam,

quia

quia habet connata jura naturalia, ratione autem ſtatus *adventitii* nullam habet perſonam, quia nulla jura, nam quidquid aquirit, ſuo domino aquirit: Denique habet jus poſtulandi a domino, ut ceſſet *gravamen*, hoc eſt læſio, quam ſuperior infert inferiori, quia omnis homo habet jus læſionem a ſe avertendi; & quidem ſi imanis fuerit domini ſævitia, poteſt domo excedere, quia perſidia ceſſant contractus.

§ 262.

Si ſervus obnoxius ſine ulla domini culpa damnum inferat tertio, illud dominus nec reſarcire, nec ſervum noxæ dare, id eſt læſo pro ſatisfactione extradere tenetur. *Primo:* quia dominus non eſt cauſa damni, ille autem tantum tenetur damnum reſarcire, qui eſt cauſa damni. *Secundo:* dominus retinendo ſervum utitur jure ſuo, jus enim habet in ejus operas, ergo non dando eum noxæ non lædit læſum. *Tertio:* in pari cauſa melior eſt conditio poſſeſſoris, ſed hic læſus agit de damno reparando, dominus autem ſervi de eodem vitando *Quarto:* Adverſarii hujus ſententiæ admittunt, non debere ſervum noxæ datum, ſi tunc iterum aliquem læderet, huic pro ſatisfactione tradi, cum nondum reparaverit primum damnum, atqui dum primum damnum intulit, nondum ſatisfecit ſuo domino, ergo ſi primum, etiam ſecundum. *Quinto:* quia ſecus in utroque caſu innocens herus, illi enim

nihil

nihil poteſt imputari, pœnam ſentiret, quod injuſtum eſt.

Puffendorfius dicit 1. *cum ſervus bono ſit, debet damnum datum reſarcire*. Ita, ſed non ex alieno; ratio hæc non aliud evincit, quam quod ſi ſervus a ſuo domino aliquid tanquam proprium obtineat, vel liber fiat, teneatur damnum reſarcire. 2. *Cum obligatio reparandi damnum ſit connata, cum ea ſervus ad ſervitutem venit, & dominus ab illa ſervum liberare non poteſt*. Hæc quidem obligatio hypothetica eſt, ſupponit enim factum læſionis, quod tamen ſi ſervitutem præceſſit, dominus ſervum petenti læſo extradere tenebitur, qui enim prior tempore, etiam potior jure, ſed ex eadem ratione ſi dominus ob priorem læſionem lædentem in ſervitutem redegit, tempore jam ſervitutis læſo eundem tradere non debet 3° *Cum dominus ex operis ſervi ſentiat lucrum, debet etiam ſentire damnum*. Verum dominus ex operis ſervi illicitis nullum ſentit lucrum, ergo nec debet ſentire damnum. 4° *Cum ſervus nihil habeat, detur tamen contra illum jus defenſionis, & ſatisfactionis, debet ejus dominus damnum reparare*. Contra lædentem datur jus defenſionis, & ſatisfactionis, ſed dominus non eſt lædens. 5° *Secus ſervus poſſet alios impune lædere*. Non, dominus enim illum punire tenetur, ne aliàs factum ejus approbet.

§ 263.

§ 263.

Generatim ceſſat ſocietas herilis, ſi vel nexus pactitius tollatur, uti mutuo diſſenſu, lapſo tempore &c. vel ratio legis ceſſet, veluti ſi quis pro debito, vel læſione ſatisfecit, quia his modis ceſſat omnis hypothetica ſocietas. *Speciatim* vero *manumiſſione*, ſeu actu quo dominus ſervum libertati reſtituit, vel *exilio*, ſeu actu, quo dominus inobedientem ſervum amandat, quia juribus permiſſivis quilibet poteſt renunciare, quod hic in utroque caſu fit cum hac tamen differentia, quod manumiſſio ſit gratia, exilium autem pœna.

CAPUT V.

De domo, ſeu familia, & ſucceſſionis jure.

§ 264.

Domus, ſeu familia, eſt ſocietas ex conjugali, parentali, & herili, vel ſaltem ex binis earum compoſita. *Membra* hujus ſocietatis ſunt 1. *Capita familiæ*, ſeu pater, & materfamilias, hoc eſt, conjuges, parentes, heri. 2. *Domeſtici*, ſive filii, & filiæ familias, ſervi, & ancillæ, quia ex his domus conſurgit. Domus habet ſuum proprium finem, quia eſt ſocietas, & quidem diſtincta a ſimplicibus illis ſocietatibus, ex qui-

quibus componitur, jam autem omnis ſocietas habet ſuum proprium finem. *Finis* ejus in hoc conſiſtit, ut ſimplex quævis ſocietas proſequendo ſuum finem, ceteras in ſuo obtinendo adjuvet, quia ſicut domus ex ſocietatibus ſimplicibus, ita etiam ejus finis, ex finibus ſocietatum ſimplicium componitur, nam conjuges, & parentes ideo ſibi ſervos, & ancillas aſſumunt, ut educationi prolium, aliisque negotiis eo rectius poſſint ſatisfacere. *Hinc* quilibet ſocius duplicis generis jura, & obligationes habet, quia eſt & ſimplicis, & etiam hujus compoſitæ ſocietatis ſocius. v. g. Paterſamilias, ſi domus ſit compoſita ex conjugali, parentali, & herili ſocietatibus, habet officia qua conjux, qua pater, qua herus, & qua pater ſamilias.

§ 265.

Omnis domus eſt ſocietas inæqualis, quia familiæ capita habent imperium in ſuos domeſticos, nam familiæ capita in ſocietate parentali qua parentes, in herili qua herus, & hera habent imperium, jam autem ſi non utraque hæc ſocietas, alterutra certe ſemper adeſt in ſocietate domeſtica, ergo familiæ capita habent imperium, atqui ſocietas, in qua datur imperium, inæqualis eſt; *Et quidem* hoc imperium naturaliter patri, & matri familias æqualiter competit, quia utrique & in ſocietate parentali, & in herili commune eſt. *Niſi* illud alterutra pars

pa-

pacto expreſſo, vel tacito, aut interveniente alterius morte ſola obtineat, quia juri permiſſivo liberum eſt renunciare, & mortuus illud exercere non poteſt. *Hinc* Liberi non ſunt ſervorum domini, & nonniſi parentum auctoritate iisdem imperant: quia illi in nulla ſocietate, ex qua domus componitur, ſunt imperantes, ſed ipſimet ſubjecti.

§ 266.

Imperans in domo habet jus I. leges ferendi, easque promulgandi, quia habet jus ad finem ſocietatis, jam vero nulla ſocietas ſine legibus eſſe poteſt, & ſine promulgatione nulla lex ſciri. II. Statuendi præmia, & pœnas, quia hæc ſunt motiva leges cuſtodiendi. III. Præmiandi diligentes, & puniendi negligentes, quia fruſtra ſtatuiſſet præmia, & pœnas, niſi eas etiam executioni daret. IV. Diſpenſandi in legibus, quia ab ejus pendent arbitrio. V. Abrogandi leges accidentales, ſi circumſtantiæ, ob quas latæ erant, mutentur, quia mutata ratione ſufficiente mutari debet rationatum. VI. Leges naturales magis determinandi, v. g. muniendo eas ſanctione pœnali, quia tunc leges fert. VII. Mutandi pœnas in graviores, ſi delicta invaleſcant, ſed etiam VIII. pœnas mitigandi, & penitus remittendi, ſi id finis ſocietatis poſtulet, quia cujuslibet imperantis poteſtas menſuram accipit ex fine ſocietatis. IX. Impe-

perans in domo poteſt fines ſocietatum ſimplicium ita connectere, ut quælibet ſocietas reliquarum finem magis promoveat, quia ſic bonum commune ſocietatis domeſticæ obtinebitur, hujus enim finis ex ſimplicium ſocietatum finibus coaleſcit. X. In caſu colliſionis officiorum, & negotiorum ſocialium facere exceptionem, quia illi optime ſunt notæ circumſtantiæ domus, ille ſcit, quid cuilibet ſocio agendum, vel omittendum ſit, & poteſt hoc pro imperio determinare. XI. Poteſt definire præcedentiam, & alias prærogativas, quia habet jus ſtatuendi præmia, & diſtribuendi. XII. Poteſt actiones ſubditorum determinare ad ſecuritatem in familia obtinendam, adeoque etiam modum, quo bella orta gerantur, definire, quia ſine ſecuritate ſalutem, & felicitatem domus non obtinebit, felicitati enim defectus ſecuritatis quam maxime adverſatur. XIII. Petere a ſubjectis, ut actionum ſuarum rationem reddant, quia illius intereſt ſcire, an negotia ſibi commiſſa fideliter, & exacte gerant, hoc vero optime reſcit ex datis rationibus. Denique XIV. poteſt exigere, ut præſcriptum ordinem conſtanter obſervent, quia ſecus naſcetur confuſio negotiorum, aliqua obiter tantum peragentur, alia negligentur, ideo veriſſime dicitur: *Ordo eſt anima rerum.* Hiſce autem juribus domeſtici obedire tenentur, quia alias inane eſſet imperium.

§ 267.

Sed etiam mutua patris, ac matris familias inter ſe officia ex fine ſocietatis domeſticæ definienda ſunt, quia ſunt ſocii, quilibet autem ſocius obligatur fini ſocietatis convenienter vivere. Hinc peccant, ſi alter alterius auctoritatem iminuat, ſi alter alteri ponat impedimentum in educatione liberorum, aut correctione ſervorum, ſi denique tolerent ſive crudelitatem liberorum in ſervos, ſive ſervorum nequitiam, qua ſolent prolium mores corrumpere, quia ſic nec tendunt ad finem ſocietatis conjugalis, nec ad parentalis, nec ad herilis, ergo nec ad finem ſocietatis domeſticæ, hujus enim finis tunc obtinetur, ſi reliquarum, ex quibus domus componitur, ſalus promoveatur.

§ 268.

Poſt familiam agendum venit de jure ſucceſſionis, hoc enim magnam partem in notione familiæ fundatur. *Patrimonium* eſt complexus omnium bonorum aquiſitorum. *Hereditas* eſt patrimonium a defuncto relictum. *Jus hereditarium,* ſeu jus ſucceſſionis eſt jus alicui proprium hereditatem in τω ſuum recipiendi. *Heres* eſt, qui habet jus ſucceſſionis. *Teſtamentum* eſt expreſſa Declaratio voluntatis, qua dominus aliquem ſub duplici conditione: mortis, & non revocatæ voluntatis bonorum ſuorum heredem

in-

inſtituit, ſed ſine acceptatione. Si enim accedat heredis acceptatio, vocatur *pactum ſucceſſorium.* Inter teſtamentum, & pactum ſucceſſorium hæc eſt differentia: 1° quod *teſtamentum* ſemper poſſit revocari, quia fit ſub conditione, ſi voluntatem non revocavero, adeoque inter plura ultimum valet, in hoc enim non eſt revocata voluntas: *pactum autem ſucceſſorium* jam eſt revocabile, jam irrevocabile. *revocabile*, ſi utraque conditio, mortis nempe, & non revocatæ voluntatis fuerit adjecta prout in teſtamento, *irrevocabile*, ſi unica tantum conditio mortis fuerit adjecta, quia prouti paciſcentes lingua nuncuparunt, ita jus eſto. 2° quod in teſtamento vivente teſtatore non adſit heredis acceptatio, adſit vero in pacto ſucceſſorio, pactum enim eſt promiſſio acceptata: hinc heres ex teſtamento habet tantum jus præcipuum, ſeu jus præ aliis bona a defuncto relicta in τω ſuum recipiendi, quia illi ſoli præ aliis delatum eſt. heres autem ex pacto ſucceſſorio habet jus perfectum, quia ex pacto naſcitur jus perfectum. 3° quod bona in teſtamento relicta poſt mortem teſtatoris ſint *res jacens*, hoc eſt in nullius actuali dominio, non in defuncti, ille enim nullius amplius juris eſt capax, non in heredis, hic enim ea nondum acceptavit, habet tamen jus præ aliis illa in τω ſuum recipiendi, quia hoc eſt juridice res jacens; bona autem in pacto ſucceſſorio promiſſa poſt mortem promittentis

ad actuale dominium heredis ſpectant, quia tunc implentur omnes conditiones pacto adjectæ.

§ 269.

Teſtamentum, & pactum ſucceſſorium poteſt omnis dominus uſu rationis prædirus facere, quia quilibet dominus uſu rationis præditus poteſt ſuam voluntatem declarare, & de rebus ſuis pro libitu disponere, ſeu res ſuas pure, vel conditionate, tam in præſens, quam in futurum alteri promittere, atqui hoc fit in teſtamento, & pacto ſucceſſorio. *Equidem* teſtamentum facere jure naturæ nec præceptum, nec prohibitum eſt, ſed permiſſum, quod ſi tamen adſit, tunc nemo præter heredem poteſt relicta bona ſibi appropriare, quia ſecus impediret heredem in exercitio juris illi ſoli competentis, ergo læderet, quod non licet. *Sed etiam* quilibet dominus poteſt in teſtamento *heredem ſubſtituere*, hoc eſt ſecundum heredem nominare in caſum deficientis primi, & tertium in caſum deficientis ſecundi. *Deinde* poteſt *fidei committere*, hoc eſt heredem rogare, ut totam hereditatem, vel ejus partem tradat tertio. *Denique* poteſt *legare*, ſive aliquam portionem ex hereditate tertio cuidam aſſignare, quia dominus de ſuo patrimonio poteſt pro arbitrio disponere. *Si plures ſint ejusdem rei legatarii*, ſed aliqui non concurrant, vel quia nolunt, vel quia non poſſunt, tunc portio deficientis regu-

la-

lariter accreſcit concurrenti, quia teſtator ſeparando legatum ab hereditate præſumitur voluiſſe, ut ad concurrentem legatarium pertineat; *interea* recurrendum eſt ad verba teſtamenti, aliasque circumſtantias, quia ex his poſſumus voluntatem teſtatoris interpretari, hereditas autem, & legatum a ſola voluntate teſtatoris dependet.

§ 270.

Si nullum adſit teſtamentum, tunc heres ſit ab inteſtato is quem deſunctus per naturam maxime amare obligabatur; quia quem maxime amare obligamur, illum etiam quam maxime perficere debemus, ergo illi bona noſtra, quæ non tantum pro nobis, ſed etiam pro aliis perficiendis comparavimus, quibus tamen mortui amplius non indigemus, relinquere tenemur, jam autem huic ſpeciali obligationi correlatum eſt jus ſingulare, nimirum jus ſucceſſionis ab inteſtato, ergo. *Deinde* ob jus connatum bonæ exiſtimationis præſumitur deſunctus huic ſuæ naturali obligationi ſatisfeciſſe, ergo ſi non habetur expreſſa voluntas de ejus patrimonio, recurrendum eſt ad tacitam. Hinc I. Parentibus ſuccedunt deſcendentes, quia hos obligantur alere, & partim ex facto generationis, partim ex ſtimulis naturalibus maxime amare, & juvare. Et quidem deſcendentes immediati, & primi gradus, uti filii, & filiæ ſuccedunt *in capita*, hoc

eſt aquirunt æquales portiones, quia æqualiter ſunt proles, ergo naturaliter æquali amore dignæ: mediati autem deſcendentes *in ſtirpes*, hoc eſt illam portionem aquirunt, quam aquiſiviſſet pater, vel mater eorum, ſi non fuiſſet præmortua, quia tantum patrem, vel matrem repræſentant.

§ 271.

II. Si nulli ſint deſcendentes, adſint vero aſcendentes primi gradus, ſeu pater, & mater, tunc hi ſuccedunt, quia hos filii quam maxime amare obligantur, utpote ſuos maximos benefactores, *quod ita eſt intelligendum*, ut primi gradus aſcendentes excludant remotiores, v. g. avum, quia deſcendentes proximioribus aſcendentibus majorem amorem, & gratitudinem præſtare obligantur, quam remotioribus: Et ſi unus tantum primi gradus aſcendens ſuperſit, v. g. ſola mater, totam hereditatem ſuperſtes aquirit, quia pater, & mater ob ſocietatem conjugalem unam efficiunt perſonam moralem, ergo etiam jus iisdem competens eſt indiviſibile. III. Si nec adſint deſcendentes, nec aſcendentes primi gradus, licet exiſtant remotiores aſcendentes, tunc tamen collaterales ſuccedunt, ſic frater defuncti ejusdem avum excludit, quia collaterales obligamur magis amare, & juvare quam remotiores aſcendentes propter communem ſtipitem, ſeu patrem, huic enim perficiendo collaterales

bene-

beneficium rependimus, nam hoc illis præſtamus, quod communis ſtipes iis tanquam ſuis deſcendentibus præſtare ſluiſſet obligatus. *Deinde* collaterales ſuccedunt in juribus ſuorum aſcendentium primi gradus, ſed tales aſcendentes excludunt remotiores. IV. Si ſoli adſint aſcendentes remotiores, tunc hi ſuccedunt, quia ſunt conſanguinei, conſanguineos autem magis amare obligamur, quam non conſanguineos. Et quidem ſuccedunt *in lineas*, hoc eſt linea paterna medietatem, & linea materna aquirit aliam medietatem, quia ſi pater, & mater viveret, ſuis deſcendentibus æqualiter ſuccederet, ergo etiam his demortuis linea paterna, & linea materna æqualiter debet ſuccedere, nam pater reſpectu avi paterni eſt deſcendens, & mater reſpectu avi materni eſt etiam deſcendens, deſcendentibus autem parentes æqualiter ſuccedunt. *Nihil vero obeſt*, etſi in una linea unica perſona, veluti avus tantum, in altera avus, & avia reperiantur, quia parentes qua tales unum ſunt.

§ 272.

V. Si nec adſint deſcendentes, nec aſcendentes, nec collaterales, ab inteſtato ſuccedunt *conjuges*, quia hi inter ſe vivunt in proxima ſocietate, jam autem ſocius ſocium præ aliis amare, ejusque commoda promovere obligatur. VI. Si nec adſit conjux, ſuccedunt *affines*, quia

ob vinculum, quod inter affines intercedit, illos magis obligamur amare, quam non affines. VII. Si nec adſint affines, ſuccedunt alii *ſocii*, prout quisque eſt proximus, quia ſocios magis amare obligamur, quam non ſocios, fundamentum autem ſucceſſionis ab inteſtato eſt præſumtus amor. Duplex itaque eſt modus hereditatem aquirendi: unus ex teſtamento, alter ab inteſtato; Succeſſio *teſtamentaria*, eſt hypothetica, dependet enim a facto, nempe ab expreſſe declarata voluntate teſtatoris, ſucceſſio vero *ab inteſtato* eſt naturalis, & legitima, quia ex lege naturali alios amandi, & perficiendi deducitur.

§ 273.

Succeſſio ab inteſtato tamdiu præſumi debet, donec probetur teſtamentaria, quia illa eſt juris, hæc facti, ſola autem facta debent probari. Quod ſi probetur taſtamentum, legitimus heres excluditur, quia præſumtio debet cedere veritati. *Verum* teſtamentum debet habere requiſita neceſſaria, ſeu *ſolemnitates*, quæ vel ſunt *internæ*, quæ ad eſſentiam teſtamenti pertinent, nimirum ut adſit expreſſa voluntas, qua dominus ſub duplici conditione, mortis, & non vocatæ voluntatis aliquem bonorum ſuorum heredum inſtituit: ita enim definitio teſtamenti ejus naturam explicat, vel *externæ*, quæ ad probationem facti teſtamenti requiruntur, uti, ſi fuit *ſcriptum*, ut adſit ſcriptura teſtatoris ſa-

tis

tis recognita ; & a ſuſpicione vis, ac metus libera, amor enim, in quo teſtamentum fundatur, coactionem excludit, ſi autem fuit *nuncupativum*, ut adſint ad minimum duo omni exceptione majores teſtes. Quia ſine internis ſolemnitatibus nullum eſt teſtamentum, & ſine externis non poteſt probari, adeoque etiam juridice nullum, in jure enim non eſſe, & non apparere eſt idem.

§ 274.

Exheredatio eſt actus, quod jure hereditario privatur is, qui ab inteſtato ſucceſſiſſet. *In regula eſt illicita*, quia naturali obligationi amandi, & perficiendi alios præ ceteris adverſatur, *in exceptione* tamen, id eſt, ſi amor naturalis confligat cum majore amore adventitio, ut ſi alicui conſanguineorum in neceſſitate conſtituto ejus collaterales omne auxilium denegarent, extraneus vero complura præſtaret beneficia, licita eſt, quia licitum eſt majorem amorem præferre minori. *Hinc* qui inique exheredatus eſt, nequit teſtamentum impugnare, quia amor coactionem non patitur, at qui injuſte exheredaretur, v. g. is, cum quo fuit pactum ſucceſſorium initum, vel proles nondum educatæ, poteſt teſtamentum impugnare, quia violatio juſtitiæ patitur coactionem.

§ 275.

Hereditatem adire ſignificat verbis declarare voluntatem bona defuncti in τω ſuum recipiendi, *ſe pro herede gerere* eſt factis declarare voluntatem bona defuncti in τω ſuum recipiendi, v. g. debita teſtatoris exolvendo. Qua de re ſequentes ſunt regulæ juris: I. Hereditas non ante aquiritur, quam ubi aditio, vel pro herede geſtio intervenerit, quia hereditas poſt mortem domini eſt res jacens, ut ergo fiat alicui propria, debet accedere declaratio voluntatis illam ſibi habendi ut propriam, nemini enim invito beneficia obtrudi poſſunt, jam autem declaratio voluntatis vel fit expreſſe per aditionem, vel tacite per geſtionem pro herede. II. Tametſi his modis heres fiat hereditatis dominus, poſſeſſionem tamen nonniſi actuali apprehenſione nanciſcitur, quia ad poſſeſſionem rei actus phyſicus eſt neceſſarius. III. Qui uſu rationis caret, ille nec hereditatem adire, nec ſe pro herede gerere poteſt, quia voluntatem non poteſt declarare. IV. Aditio hereditatis poteſt fieri etiam per mandatarium, quia non eſt jus mere perſonale. V. Qui eſt pacto heres, non indiget nova acceptatione, quia jam acceptavit hereditatem, dum pactum fecit, pactum enim eſt promiſſio acceptata. VI. Illa regula: *hereditas non adita non transmittitur*. vera eſt in ſucceſſione *teſtamentaria*, quia in hac transmiſſionem

nem faceret homo, qui non adeundo hereditatem illam non habet, jam autem quod quis non habet, in alium transmittere non poteſt: falſa vero in ſucceſſione *legitima*, quia in hac transmiſſio fit ab ipſa lege, cui homo refragari nequit.

§ 276.

Heres ſuccedit in omnia jura, & obligationes reales defuncti, perſonales enim morte extinguuntur, quia obligationes reales fundantur in bonis, jam autem in his ſuccedit, ergo etiam. *Hinc* heres cum defuncto eſt una perſona moralis, quia eadem habet jura, & obligationes reales, quas habuit defunctus. *Interim* non tenetur ultra vires hereditarias, quia tantam tantum contrahit obligationem, quanta aquirit bona, hæc enim ſunt fundamentum obligationis. Heres poteſt etiam hereditatem *omittere*, ſeu *repudiare*, quia cuilibet liberum eſt juri ſuo permiſſivo renunciare. *Sed ſi* nec adeat, nec repudiet, tunc proxime ſucceſſurus heres habet jus primi heredis voluntatem exquirendi, & ſi nullam det ſufficientem cauſam procractæ aditionis, hereditatem vi adeundi, quia ſecus proxime ſucceſſurus heres læditur, impeditur enim in exercitio juris ſuccedendi, nam ille naturaliter *ſubſtitutus eſt*, cum teſtator illum poſt primum heredem quam maxime amare obligatus fuerit, jam autem contra lædentem datur jus cogendi.

§ 277.

§ 277.

Naturaliter variis de cauſis poteſt teſtamentum infirmari: I. Si deſit ſolemnitas interna, tale dicitur *nullum*, quia non habet eſſentialia teſtamenti. II. Si deſit ſolemnitas externa, quia tale non poteſt probari, hoc vocatur *injuſtum*, quia aufert bona legitimum ſucceſſorem concernentia, quod injuſtum eſt. III. Si vivens teſtator mutavit priorem voluntatem, quia omni teſtamento adjicitur hæc conditio: Si voluntatem meam non revocavero, tale nominatur *ruptum*, quia teſtator condendo aliud teſtamentum, diſrupit prius. IV. Si alicui portio jure perfecto debita non relinquatur, quia actus jure naturali prohibitus eſt nullus, v. g. ſi prolibus nondum educatis portio ad educationem neceſſaria ſit denegata, tale eſt *inofficioſum*, quia teſtator egit contra officia erga alios debita. V. Si teſtator veniat in ſervitutem obnoxiam, quia vi hujus herus aquirit jus in omnia bona ſervi, hoc appellatur *irritum*, quia amiſit ſuum valorem. VI. Si heres hereditatem repudiet, quia ſine herede nullum eſt teſtamentum, heres enim pertinet ad eſſentiam teſtamenti, tale habetur pro *deſtituto*, quia herede deſtituitur.

§ 278.

Qui omnem ſucceſſionem ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato juri poſitivo adſcribunt, his

ferme

ferme utuntur argumentis: 1° *mortuo domino res eſſe derelictas, ergo primi occupantis.* Verum is res ſuas non derelinquit, qui eas in certam perſonam vel expreſſe in teſtamento, vel tacite in ſucceſſione ab inteſtato transferre vult. 2° *Mortuo domino ejus bona fieri nullius.* Nequaquam, ſunt etenim jacentia, quia heres habet jus præ ceteris illa ſibi appropriandi. 3. *Dominium rerum eſſe noſtris uſibus conceſſum, adeoque cum vita interire.* Dominium rerum etiam aliorum promovendæ perfectionis cauſa eſt conceſſum, ergo jure ſuo utitur dominus, dum res ſuas, quibus poſt mortem non indiget, in aliorum auxilium vivens impendit. 4 *Non poſſe oſtendi modum, quo hereditas in heredem præſertim teſtamentarium transiret.* Eſt modus derivativus, non enim aquiritur res nullius, & quidem in ſucceſſione ab inteſtato ex lege naturali, in teſtamento ex declarata voluntate teſtatoris. 5° *Voluntatem heredis cum voluntate teſtatoris nunquam conjungi.* Hoc falſum eſt, nam voluntas, quæ non revocatur, etiam poſt mortem durat, cum qua heres ſuam voluntatem conjungit, dum hereditatem adit, vel ſe pro herede gerit. 6° *Patrimonium a defuncto relictum occupando nullius jus violari.* Violari autem jus heredis præcipuum, hereditas enim non eſt res nullius. 7° *Etſi aliquando heredi præripere hereditatem foret iniquum, nunquam tamen injuſtum.* Enim vero ſemper erit injuſtum,

ſtum, quia impedire alterum in exercitio juris ſui ſemper eſt injuſtum. 8° *Saltem ſucceſſionem teſtamentariam principiis de ſucceſſione legitima ſtabilitis repugnare.* Equidem exheredatio in regula illicita eſt, licita tamen in exceptione. *Deinde*, ex conceſſis adverſariorum imperans civilis poteſt ſtatuere leges de ſucceſſione teſtamentaria, ergo etiam imperans domeſticus, ſi etenim hæc ſucceſſio adverſaretur legibus naturalibus, neque in civitate haberet locum, nam nulla lex civilis poteſt legibus naturalibus contrariari.

FINIS.

Errata — Corrigenda.

Pag.	Errata	Corrigenda
15	Omnratione	omni ratione
Ibidem	homiinem	hominem
16	lenſu	ſenſu
18	neceſſario	neceſſaria
21	*bypotheticus*	*hypotheticus*
59	caluminaris	calumniaris
60	*ſed hoe*	*ſed hæc*
63	inſtractus	inſtructus
73	erga ſe	erga ſe internis
Ibidem	ſacilitas	facilitas
79	probalis	probabilis
94	prohitum	prohibitum.
106	eodem malo	eodem modo
109	in ſublimione	in ſublimiore
110	comedabatur	comedebatur
115	ſanciatum	ſauciatum
121	am	jam
145	*autochira*	*autochiria*
163	deſtituiti	deſtituti
169	medacium	mendacium
170	liis	iis
209	Deide	Deinde
236	locutionis	locationis
240	victribus	victricibus
243	jctaus	jactus
252	hypotbetica	hypotheca
254	ſacutates	facultates
265	actore	auctore
290	nont	non
303	nimirm	nimirum
331	ſervilia	ſervilis
344	taſtamentum	teſtamentum
Ibidem	vovocatæ	revocatæ
345	quod jure	quo jure
347	fucait	fuerit

JC
571
B66

Brezanóczy, Adamus
Explanatio juris naturae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 11 13 01 08 020 6